



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiae R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacrae
Theologiae Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia VI. De Intellectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

radicale formaliter non distingui ab intellectu, & ita non esse prius illo: quod si per intellectum distingatur tantum habebit prioritatem quamdam rationis, quæ poterit deferre ad hoc ut per rationem præcindatur, non vero ad hoc, ut realiter separatur, quia realiter non est prius principium cognoscituum, quam volituum radicaliter, sed formaliter idem. Adde quod etiam si realiter distinguerentur posset dici principium intellectuum supponi ad volituum cum connexionione essentiali ad illud, & tamquam quid formalissimè connexum cum illo, ut implicaret dari principium cognoscituum sine volituo.

7 Tertiò arguunt alij: Sensationes externæ sunt quædam manifestationes, & propositiones obiectorum, & tamen nullum inferunt appetitum: ergo potest dari representatio interna obiecti, quin deat potentia appetitiva circa illud. Respondeo, appetitum internum materiale ferri in omnia obiecta sensata sensu interno, & sensibus externis, & ita horum representationes, externas videlicet sensationes, destitutas non esse potentia appetitivâ, quæ ex ipsis externis sensationibus, & ex illarum potentis deducitur.

8 Si quæ inuenitur solida probatio huius conclusionis, hæc est: non repugnat dari principium cognoscituum, quod non sit volituum: ergo potest Deus producere creaturam potentem cognoscere, & non velle. Tota hæc questio sita est in probatione antecedentis, quæ ex argumentorum solutionibus petenda est. Hæc refero ut reddâ illas.

9 Obiic. 1. Intellectus ordinatur ad voluntatem & intellectio ad volitionem: ergo implicat dari principium intellectuum, quod non sit volituum. Respondeo de facto intellectum, & voluntatem in creaturis existentibus esse idem saltem radicaliter, seu in radice, ex qua oriuntur hæc potentia in opinione, quæ illas superadditas admittit; & in sententia, quæ potentias has superadditas non admittit, principium formale intelligendi, & volendi esse idem, & ita in illa nullum posse reperiri ordinem inter intellectum & volituum: do tamen hunc ordinem intercedere in his principiis, qui negari nequit in illorum actibus, & nego similem ordinem necessariò dandum esse in omni intellectu, & intellectuone possibili respectu voluntatis, & volitionis, quia non repugnant intellectuones specie distinctæ ab his, quæ de facto dantur absque illo ordine ad volitiones.

10 Obiic. 2. Creatura rationalis, & irrationalis distinguuntur ex eo, quod rationalis habeat appetitum elicatum, & irrationalis appetitum innatum: ergo implicat dari creaturam irrationalem carentem appetitu elicto, quia nihil potest dari sine illo, per quod formaliter distinguitur ab aliis. Respondeo creaturam rationalem de facto existentem constitui formaliter per principium intelligendi, & volendi per quod distinguitur ab omni irrationali, posse tamen dari creaturam rationalem constitutam per purum principium intelligendi, ex vi cuius differat formaliter ab omni creatura irrationali, & à rationali volitivâ, sicut planta per principium purè vegetativum differt ab omni non vegetativo, & à vegetativo sensitivo.

11 Obiic. 3. Principium perfectissimum potens cognoscere, quale est Deus, & imperfectissimum quale est brutum, est potens appetere: ergo de ratione omnis principij appetitivi est posse appetere. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia posset dari principium aliud cognoscituum imperfectius brutum, quod non posset appetere, & perfectius illo, & etiam perfectius homine, medium inter Deum, & hominem, quod non posset appetere, ex qua impotentia præcisè non esset æquè perfectum cum homine, ex alio tamen capite, videlicet ex perfectiori modo cognoscendi per pauciores species plura obiecta, & maiori expressione, certitudine, & evidentia exuperaret excessum bruti in potentia appetitiva.

12 Obiic. 4. Omnis forma debet habere appetitum sibi proportionatum: sed creatura rationalis habet actum rationis elicatum: ergo debet habere appetitum elicatum. Respondeo concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Quia cum creatura rationali habente actum rationis elicatum non solum est proportionatus appetitus elicatus, sed etiam innatus, quia creaturæ rationali habenti actum rationis elicatum, etiam convenit innatus appetitus in suas passionibus, ut omnes admittunt. Ex quo inferatur hunc appetitum illi esse proportionatum, quia nullus appetitus potest naturaliter rei convenire, qui cum illa

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I. I.

proportionatus non sit. Si dicas appetitum innatum non convenire creaturæ rationali, ut rationalis est, non tecum contendam, etsi possem obicere creaturam rationalem ut principium potens producere intellectum potentiam in opinione, quæ hanc admittit superadditam habere innatum appetitum ad illam producendam, & eandem creaturam videlicet animam simul cum potentia, si datur, & si non datur ipsam tantum habere innatum appetitum ad suos actus producendos: ergo creatura ut potens producere potentiam intellectum & ut potens producere intellectuones habet appetitum innatum, quia natura hominis, ut potens formaliter producere intellectum tantum propriam passionem, & intellectuones, simul cum intellectu, vel ipsa sola, formaliter rationalis est. Dico, me de hac re non contendere: do creaturæ rationali formaliter ut rationali non competere appetitum elicatum, sed tantum illi materialiter sumptæ convenire, & affirmo posse dari creaturam rationalem, cui ut rationali formaliter appetitus non conveniat. Adde principium ratiocinandi formaliter in se non esse elicatum, sed tantum tale denominari ab actibus, qui eliciuntur, ac proinde appetitum proportionatum cum sua entitate non debere esse elicatum, siquidem ipsum principium cognoscituum formaliter in se elicatum non est.

13 Obiicuntur vltimò nonnulla testimonia adducta à Patre Vasquez, quibus ex Scriptura, & Patribus intendit probare omnem creaturam rationalem esse peccabilem, eo ipso, quod sit rationalis. Ex quo inferatur esse liberam, & potentem amare, quia sine libertate peccatum inueniri nequit, & libertas tantum potest in voluntate reperiri. Respond. omnia testimonia adducta à Patre Vasquez, & quæcumque alia adducantur; quibus Patres asserant omnem creaturam rationalem posse peccare, intelligenda esse de creaturis rationalibus habentibus potestatem volitivam, quia Patres tantum intendunt tradere nullam voluntatem, creatam esse impeccabilem, & cum de facto omne principium intellectuum sit volituum, vniuersaliter asserunt, omne principium intellectuum, seu omnem creaturam rationalem esse peccabilem, parum curantes, an possit dari creatura aliqua, quæ possit intelligere, & non amare.

14 Ex his potest non improbabili iudicari opinio asserens posse dari principium intellectuum, quod volituum non sit; Verumtamen mihi amplecti non permittit magna Doctorum auctoritas, qui oppositam defendunt, cum neque vnum inueniam, quem possum opponere alicui magnorum illorum Molina, Vasq. Suarez, & Valentia, quos cum aliis, pro sententia negante supra adduxi. Contradictio adducenda, propter quam non possit produci à Deo creatura potens cognoscere, & non appetere, sumenda est ex ipsa intrinseca natura principij cognoscitivi, & actuum illius, quorum finis est proponere cognoscenti obiecta fugienda, & amplectenda ad sui conseruationem. Sicut enim lapidi naturæ auctor propensionem dedit, innatumque appetitum ad proprium bonum, sic ut appetitum elicatum tribueret sensitivis, & ut per actus elicatos possent bonum amare, & malum odio prosequi; hoc fugere, & illud amplecti, potentiam cognoscitivam illis est impertitus, ut cognitam convenientiam, & disconuenientiam fugerent, & intenderent; & in hunc finem ordinatur potentia cognoscitiva, & illius actus: nam ut bene expendit P. Ruissus n. 31, frustra videret animal cibum, quem non posset appetere, frustra quis lupum videret, audiretque leonis rugitum, & cerneret vngues, si non posset fugere, neque timere, si bique consulere, maxime cum omnium animalium sensationes sint destinatæ ad conseruationem, commoditatem, illorumque lætitiâ.

CONTROVERSIA VI.

De Intellectione.

EXPLICIT natura potentia intellectus, & illius obiectum, restant modo parvus vtriusque explicandi, scilicet illius actus, de quibus modo disputationem texam.

G

PUNCTVM

PUNCTUM PRIMUM.

In quo formaliter intellectio sit constituenda?

I Intellectionem esse formam superadditam intellectui creato concedunt omnes, est tamen grave inter auctores dissidium in quo consistat, an in qualitate producta, an in actione ad qualitatem terminata; an in utraque; an in actione identificata cum qualitate; an in actione termino carente; an ex suppositione, quod formaliter dicat actionem, importet passionem formaliter, vel tantum materialiter tanquam quid identificatum cum actione? Nulli ex his dicendi modis patronus deest: omnes simul cum fundamentis uniuscuiusque referam, & illum, qui mihi verior visus sit, defendendum eligam. Moneo questionem hanc specialiter institui de intellectione, quia est actio præcipua inter omnes vitales intentionales; eadem enim posset institui de quacunque sensatione, & de volitione, quia eadem omnium ratio, ideo quod de intellectione definitum sit, de sensationibus omnibus, & de volitione dictum puta.

§. I.

Duplex opinio refertur, & refellitur.

- 2** Affirmant multi intellectionem adæquate in actione consistere: hi in duplicem classem sunt divisi; quidam affirmant actionem constitutam intellectionis nulum habere terminum; ita Caietanus cum aliis Thomistis 1. p. q. 27. Alij terminum assignant, per actionem productum, nihilominus asserunt, rationem intellectionis totam sitam esse in actione. Ita P. Molin. 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. Conimbr. lib. 3. de anima cap. 8. art. 3. q. 3. quos aliqui ita explicant, ut tantum dicendi modo sententiam hanc amplectantur.
- 3** Priorem dicendi modum passim iure optimo reiciunt omnes, implicat enim dari actionem sine termino, actio enim est fieri & causalitas, omne autem fieri, & omnis causalitas est alicuius facti causalitas; & implicat dari fieri, & causari sine re facta, & causata, quæ est terminus fieri, & conferuari, seu actionis. Hæc opinio iure ab omnibus reiecta, si loquendi modum attemperaret, mea quidem sententia optimè posset defendi, existimo enim tantum in modo loquendi discedere à sententia, quæ postea omnibus præferam, asserente intellectionem consistere in qualitate immediate per se ipsam nullā interiectā actione à principio dimanante, vel in actione identificata cum termino, quod sic ostendo: utraque opinio constituit intellectionem in entitate quadā immediate ab intellectu dimanante per suammet entitatem, ex vi cuius intellectus in actu secundo constituitur formaliter intelligens: ergo tantum differunt hæc duæ opiniones, ex eo quod una entitatem hanc essentialiter per suam entitatem ab intellectu dependentem, & nulum distinctum terminum respicientem vocat actionem sine termino; & altera eademmet entitatem vocat actionem cum termino identificatam. Neutra enim harum opinionum novam formalitatem concedit, vel negat, quam altera opinio diverso modo defendat.
- 4** Dices in re differre has opiniones, quia Thomistarum opinio asserit, illam entitatem esse puram actionem, altera verò opinio formalitatem qualitatis in illa actione cognoscit. Contrā: formalitas qualitatis ab hac opinione in qualitate constituta, in eo debet consistere, quod hæc entitas tali modo afficiat subiectum, illudque formaliter constituat intelligens, & informatum propria obiecti representatione, & imagine; sed in opinione asserente illam entitatem, in qua intellectio constituitur esse puram actionem, eodem modo afficit subiectum, illudque eadem ratione constituit intelligens, & informat tanquam representatio, & imago obiecti: ergo in re Thomistarum opinio concedit in hac intellectione, quam appellat puram actionem, formalitatem illam, quam altera opinio qualitatem appellat: ergo in nullo rei differunt, sed tantum in loquendi modo. Si dicas rationem qualitatis non consistere in modo respiciendi obiectum, pero à te, quæ sit formalitas qualitatis, quam constituit opinio, quæ docet intellectionem esse actionem cum termino identificatam? & cum illam dederis, eadem

assignabo in entitate Thomistica, quam actionem sine termino illius auctores vocant. Concludo, has opiniones tantum in modo loquendi differre, nihilominus affirmo graviter peccare Thomistarum opinionem contra omnem bonam philosophiam, etsi tantum in modo loquendi & hæc mea benigna indigere interpretatione, ne illum auctores in aliquem absurdum philosophandi modum explicentur.

Venio ad opinionem, quæ totam rationem intellectionis in actione constituit respiciente terminum ab illa distinctum, contra quam sic argumentatur Hurtadus disp. 6. §. 7. Viuens essentialiter dicit actionem, & passionem in actu primo, quia est principium ab intrinseco se potius mouere: ergo viuens in actu secundo dicit essentialiter actionem, & passionem actuales, & terminum. Probat consequentiam, quia viuens in actu secundo debet dicere in actu secundo id quod viuens in actu primo dicit in actu primo; sed viuens in actu primo dicit actionem, & passionem in actu primo: ergo viuens in actu secundo dicit actionem, & passionem in actu secundo. Verget: principium intellectuum constituitur in ratione principij intellectus per principium actuum in se ipso: ergo intelligens formaliter ut intelligens constituitur per actionem in se ipso: ergo constituitur per actionem, & passionem, & terminum, quia in actu primo constituitur per ordinem ad actionem, passionem, & terminum. In aliorum principijs forsan non nihil roboris haberet hoc argumentum ad probandum passionem ad intellectionem pertinere, sed ad probandum terminum ad intellectionem pertinere omnino puto esse inefficax in quacunque sententia, neque in mea respectu terminis, aut passionis habet vim aliquam. Vtrumque ostendo. Assero hoc argumentum non probare iuxta mea principia passionem pertinere ad conceptum intellectionis, quia etiam si verum sit viuens in actu secundo, seu vitam actualem debere importare in actu secundo id, quod vita in actu primo, seu principij viuendi dicit in actu primo, & hoc dicat in actu primo actionem immanentem, & per ordinem ad illam constituitur actio immanens formaliter ut immanens in mea sententia non dicit essentialiter passionem, neque viuens in actu primo constituitur per ordinem ad passionem, sed tantum per ordinem ad actionem immanentem, cuius adæquatus conceptus intelligitur ex eo præcisè, quod sit productio termini per se ipsum principij unito, quem immanentem modum, & non alium habent sensationes corporæ respectu animi rationalis, cui sunt immanentes: ergo neque de conceptu essentiali viuentis ut sic in actu primo est ordo ad passionem, neque de conceptu essentiali vite in actu secundo est actualis passio. Constat tota solutionis doctrina ex dictis Controvers. 1. Punct. 1. & Punct. 2. §. 4. de conceptu viuentis, & Controv. 3. Punct. 1. §. 2. de virtute passiva animæ respectu suarum operationum. In aliorum sententiis, qui ad immanentiam passionem requirunt, etsi probaret argumentum hanc ad intellectionem pertinere, id nullo modo de termino convinceret, quia ad immanentiam formaliter, id tantum formaliter attinet, per quod formaliter terminus recipitur in subiecto, à quo effectivè procedit: ergo ad hanc non spectat terminus formaliter. Probo consequentiam: terminum recipi in principio, à quo procedit, dicit formaliter actiue procedere ab hoc principio, & in eodem recipi: sed præcisè per actionem, & non per terminum formaliter terminus effectivè producitur ab hoc principio, & tantum per passionem formaliter, & non per ipsum recipitur in eodem principio: ergo tantum per actionem, & passionem producitur, & recipitur terminus in principio: ergo tantum in actione, & passione tota immanentia ratio constituenda est. ergo ex eo, quod intellectio dicat formaliter immanentiam non dicit formaliter terminum productum. Illud quod dicit Hurtadus videlicet principium potens operari, immanenter constitui per ordinem ad terminum, absolute negandum est, vel saltem distinguendum, dicendumque illud principium constitui formaliter per ordinem ad actionem & passionem, tanquam ad rationem adæquatam formalem immanentiam, per quem ordinem respicit terminum non primariò, sed secundariò tanquam terminum formalem immanentiam, qui ab illa denominatur secundariò immanens, terminus enim receptus in principio, à quo fuit, immanens dicitur per immanentiam causalitatis, ex vi cuius producitur.

Argue secundò §. 62. Actio vitalis, & expressio imaginis obiecti

obiecti procedit à Deo, & Deus non intelligit per illam actionem: ergo intelligere plus est, quam agere. Respondet: intelligere esse agere per actionem immanentem, & cum eadem actio sit immanens respectu viventis, & non respectu Dei, fit eadem actionem esse intellectiorem respectu viventis creati potestis intelligere, & non respectu Dei.

7 Arguit tertio §. 63. Intellectio est potissima perfectio intellectus potentiae, quia nullum accidens est in homine perfectius: sed actio non est tam perfecta, quam eius terminus: ergo intellectio non tantum in actione, sed in termino consistit, aliàs non diceret perfectissimum accidens potentiae intellectus: terminum esse perfectiorem actionem probat, quia terminus est res, & actio est modus, modus autem imperfectior est re, cuius est modus. Multa hic inuoluuntur, quae si in re maioris momenti occurrerent, sine longo examine non admitterem, si enim verum esset dari verbum creatum distinctum ab intellectu, unde probandum esset, verbum esse imperfectius intellectui: secundò cur dici non posset actionem hanc etsi ex formalitate modi non fit aequè perfecta cum re cuius est modus, ex vitalitate intrinseca actionis, cuius ratio conuenit extrinsecè termino, excedere perfectionem rei, cuius est modus. In his non inmoror: de terminum perfectiorem esse intellectu, & assero intellectum potissimè perfici per intellectu, etsi minus perfectam verbo per specialem modum respiciendi intellectum quem habet intellectio immediate per suam entitatem, quo caret terminus intellectus, & ita etsi in se perfectior, minus subiectum perficit, quia subiectum perficitur non praevis per perfectionem, sed per perfectionem, ut efficiens subiectum, & ita ratione strictiori, seu perfectioris modi respiciendi subiectum potest entitas in se minus perfecta magis subiectum perficere, quam alia in se perfectior.

8 Arguit quartò §. 64. Intellectio necessariò denominat obiectum cognitum: sed actio non tribuit talem denominationem obiecto: ergo non est intellectio. Minorem probat quia actio immediate versatur circa suum terminum intrinsecum, & circa obiectum quatenus est expressio obiecti, & ita non vt actio, sed formaliter vt qualitas terminum respicit. Respondet facile potest, actionem intellectum formaliter vt actionem, respicere terminum, & obiectum, hoc vt cognitum, illum vt productum per ipsam formaliter, quia cognoscere obiectum nihil aliud est, quam producere talem terminum, & ita quod formaliter denominat terminum productum denominat obiectum cognitum.

9 Aliè ergo sententiam hanc impugno. Si tota ratio cognitionis in actione consistit, terminum tantum est necessarius vt subsistat actio: ergo terminus est propter actionem, & non actio propter terminum, quod absurdum est, quia vt bene expendit P. Zuniga tract. de Trinit. disp. 1. dub. 7. nulla actio distincta à termino est propter se intentata, sed propter terminum, quod adeò certum esse affirmat, vt qui oppositum asserant videantur conceptum actionis non intellexisse. Primum antecedens sic probò: Si tota ratio intellectus in actione consistit & intellectus per actionem fit adequatè formaliter intelligens: ergo terminus talis actionis non constituit intellectum formaliter intelligentem: ergo tantum requiritur vt sit actio. Rem confirmo, & explico: suppone per impossibile dari hanc actionem sine termino, vel illam mente à termino praescinde, & intellectum considera actione tantum affectum, tunc praecise per actionem erit intelligens: ergo terminus tantum requiritur vt sit actio, ex vi cuius intellectus constituitur intelligens.

10 Dices, terminum requiri vt sit idolum, & verbum obiecti. Contra: hoc idolum, seu verbum non requiritur, vt intellectus in illo tanquam in obiecto prius cognito cognoscat obiectum. Ostendam enim num. 41. tale verbum non requiri respectu intellectus creati, neque vt per illud constituitur intelligens, iam enim supponimus per actionem ab illo distinctam constitui formaliter intelligentem: ergo nullo modo requiritur. Dices requiri, vt intellectus loquatur, loqui enim dicit productionem verbi; quod si non producatur, intellectus non loquetur; implicat enim loqui sine verbo. Intellectu omnino muto contentus esse, dum apprimè intelligere, ad quid enim intellectus loquax desiderandus est; vel quæ necessitas est constituendi intellectum creatum ita loquentem per verbum distinctum à cognitione: cum intellectus creatus tantum ad sui

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I. I.

perfectionem indigeat obiecti cognitione, quæ posita, quodcumque verbum aliud distinctum superfluum est in creaturis. Quod si in diuinis per cognitionem notionalè Patris producatur Verbum distinctum à principio producente vt quod, videlicet à Patre, ideo est quia Pater non tantum est potens intelligere, quatenus potest percipere obiecta, quod est commune omnibus tribus personis, sed est potens intelligere notionaliter, producendo Verbum consubstantialitè ipsi Patri producenti eiusdem essentiae cum illo, habens tamen diuersam personalitatem. Cognitionem enim notionalis Patris est communicatio essentiae, quæ est in Patre, & productio personalitatis constituentis secundam personam Trinitatis distincta à paternitate. Quod altum, & inscrutabile mysterium subsistere nequit sine Verbo distincto à Patre producente, quod fit terminus cognitionis notionalis Patris: in creatis verò nulla est ratio, quæ cogat, imò neque permittat verbum aliquod assignari productum per cognitionem formalem, quod ad rationem formalem cognitionis non pertineat.

§. II.

Duplex alia sententia rejicitur.

Docent alii rationem formalem intellectus totam sitam esse in qualitate per actionem productam. Ita P. Vasq. 1. p. disp. 112. cap. 4. num. 13. & 1. 2. disp. 9. num. 16. P. Suarez 1. p. tract. 3. lib. 16. cap. 6. num. 7. P. Zuniga tract. de Trinit. disp. 1. dub. 4. P. Val. tract. 1. disp. 6. q. 5. punct. 1. P. Arriaga disp. 6. sect. 2. subsect. 4. & alii quam plurimi ex antiquis apud Conimbr. quos etiam nonnulli pro hac sententia interpretantur. Totum fundamentum huius sententiae desumitur à paritate aliarum qualitarum, quia sicut esse album, vel esse sanctum non dicit formaliter actionem, sed ipsam qualitatem, ita esse intelligens qualitatem & non actionem debet dicere. Debile argumentum, facile enim quisque respondebit esse album, & esse sanctum consistere in qualitate, quia subiectum esse album, aut esse sanctum non dicit subiectum viuere, quod dicit esse intelligens, & ita concretum hoc intelligens importare actionem, quam non important alia concreta veluti album, & sanctum.

Hæc argumenti solutio prima fit huius sententiae impugnatio. Intelligere est viuere: viuere dicit actionem: ergo intelligere dicit actionem. Respondet Zuniga & Arriaga: intellectum esse vitam intentionalem, & hanc non importare actionem, sed representationem obiecti. Ex quo inferit Arriaga per qualitatem hanc insulam à Deo casu quo infunderetur, intellectum esse constituendum in actu secundo viuentem, & illam vitam in actu secundo esse dicendam. Solutio hæc impugnanda est ex his, quæ dixi Controuerf. 2. Punct. 1. ubi probaui viuens in actu primo esse principium operationis, & vitam in actu secundo operationem includere. Neque leuis impugnatio sumitur contra hunc modum constituendi vitam sine operatione ex Trident. sess. 6. can. 4. ubi damnatur qui dixerit in iustificazione nostra liberum nostrum arbitrium nihil operari, sed veluti quoddam inanimatum instrumentum moueri. Quibus verbis Concilij Patres censere videtur, idè esse non operari, ac se habere veluti inanimatum instrumentum nullà prorsus vitam fungens, & consequenter vitam in actu secundo formaliter includere operationem. Latius eandem sententiam impugno à n. 18. ubi probabo intellectum formaliter actionem includere. Placet notare contra nonnullos huius sententiae sectatores intellectum constituisse adequatè in qualitate, & postea definisse intellectum non esse constituendum intelligentem, si Deus illi absque vlla propria actione hanc qualitatem infunderet; quod sic impugno. Intellectus formaliter vt intelligens tantum dicit formaliter qualitatem illi unitam: ergo implicat qualitatem illi esse unitam à quocumque principio procedant vnio, & qualitas; & intellectum non esse formaliter intelligentem, sicut implicat albedinem esse unitam ligno, & lignum non esse album. Si neges primum antecedens, discedis à tua sententia, & illo negato te fortiter impero. Intellectus formaliter vt intelligens includit aliquid præter qualitatem illi unitam: ergo tota ratio formalis intellectus non consistit in qualitate, quia intellectus formaliter vt intelligens tantum includit id, in quo formaliter intellectio consistit.

13 Recens quidam ingenio nobilis, qui totam rationem intellectionis in qualitate constituebat, ut defenderet hanc à Deo infusam absque ulla intellectus actione, non constituere formaliter potentiam intelligentem, dixit actionem esse causalitatem, mediâ qua qualitas illa constituit formaliter intellectum intelligentem, quâ ablata, non præstat suum effectum, sicuti albedo, quæ est ratio formalis constituens album, non tale subiectum constituit, quovisque sit unita, etiam si subiecto sit inherens. Huic menti patrocinari vult Patrem Molina 1. p. q. 12. a. 2. disp. 1. concl. 3. & a. 5. disp. 1. quibus in locis expressè docet quod etiam si Deus produceret visionem, & intellectionem in mente mea intellectu efficienter non operante, non intelligerem per illam: atque eodem art. 5. referri à Patre Molina, Caietan. Capr. Ferrar. & Sor. asserentes, quod licet Deus sine lumine gloriæ posset facere rem illam, quæ dicitur visio, non tamen posset efficere, quod intellectus videat per illam, intellectu non concurrente cum homine; quia sine hoc intellectus non habet vim operandi. Ex quibus inferat aptè hos Doctores dixisse intellectionem non præstare suum effectum formalem sine actione, quia sentiebant hanc requiri tanquam causalitatem, mediâ qua illum communicet.

14 Propter testimonia Patris Molina locis supra citatis, illum retuli a. 2. pro sententia asserente intellectum in actione consistere, licet aliter alij eundem interpretentur, reliquos Doctores ex P. Molina relatos omnes auctores adducunt pro sententia constituente intellectionem in actione, ideo existimo nullum huic dicendi modo favere, neque in aliquis mentē venisse: illum sic propugnat illius auctor. Si homo liberè eliceret actum contritionis seu qualitatem illam, in qua talis actus constituitur, & Deus impediret unionem qualitatis cum anima, præcisè ex eo quod illa eliciisset, mereretur ergo præcisè per actionem qualitatis, & non per unionem homo constitueretur formaliter deestans peccatū, ex cōplacentia Dei: ergo per actionem, & non per unionem qualitas illa præstat suū effectum formalem. Facilius hac ratione probari potest actionem esse rationem formalem amandi, & per illam constitui voluntatē formaliter amantē, quā id, quod intendit arguens: admissio enim antecedenti, facile negari poterit consequentia, & dici in illo casu hominē constitui amantē per actionem tanquā per formā, & ita seclusā unionem qualitatis formaliter Deum amare, & deestari peccatū ex cōplacentia Dei. Dedi solutionem hanc, ut ostendā rationē adductā inefficacē esse, quid verò in illo casu cōtingeret, præcisè accipe. Casu quo actus contritionis adquatē cōsisteret in qualitate, & hæc produceretur à voluntate, & illius unio impediretur, homo mereretur per exercitiū suæ libertatis, non tamē consequeretur id, quod præstat contritio per modū formæ, ac proinde ex vi contritionis non unita non euaderet formaliter iustus.

15 Censeo ad defendendum totam rationem intellectionis consistere in qualitate, & hanc sine actione viventis à Deo infusam, suum effectum formalem non præstare, non posse alium aptiorem inveniri dicendi modum, præter hunc, quem acutè prædictus Neotericus excogitavit. Verumtamen ad rem veritatem destitutam defendendam mirum non est aptum modum non inveniri, ideo neque hunc probo, sed iam impugno. Effectus formalis alicuius formæ, ut sæpè dixi, præcipuè in Physic. Controv. 8. Punct. 3. S. 1. nihil aliud est, quā totum resultans ex forma, & ex subiecto, sed hoc totum necessariò resultat ex unione inter subiectum, & formam, & non ex actione: ergo id, medio quo qualibet forma suum effectum formalem fortitur, est unio, & non actio, & sicuti implicat dari formam unitam subiecto quin resultet totum: ita implicat formā esse unitam subiecto quin resultet effectus formalis. Respondent prædicti recentiores, diversam esse rationem de his formis, ac de aliis, quia cum istæ vitales sint, mirum nō est suum effectum formalem non præstare sine actione, in qua consistit vitalitas. Hoc est totum fundamentum quo prædictus dicendi modus adstruitur, quod sic euertat, & rationem disparitatis impugno. Intellectio formaliter ut intellectio, vel includit intrinsecè tanquam quid pertinet ad illius constitutum vitalitatem: vel non includit illam intrinsecè, sed tantum illam extrinsecè supponit, vel ab illa dependet. Si illam extrinsecè tanquam quid præsuppositum, vel aliquid, à quo depēdet, includit, extrinsecum illud neque tanquam ratio formalis, neque tanquam causalitas requireretur ut intellectio der suum effectum formalem, sed ut existat intellectio eo modo, quo requiritur ad suum

effectum formalem præstandum distinctum à vitalitate, quia vel esse non poterit sine illo præsupposito extrinsecò, ut defendit P. Valsq. qui asserit, qualitatem distinctam ab actione adhuc de potentia dei absoluta non posse produci à Deo sine actione propria intellectus: vel si semel existeret, suum effectum formalem præstaret, sicuti si per impossibile albedo existeret unita subiecto sine dependentia à Deo, illud subiectum constitueret album, quia etiam dependet essentialiter à Deo ad suum effectum formalem præstandum, eatenus dependet ad hunc effectum, quatenus dependet ad existendum cum unione, et si semel daretur existens cum unione sine dependentia. Si dicatur intellectionem formaliter, & intrinsecè includere vitalitatem tanquam quid pertinet ad sui constitutum, ratio vitalitatis pertinebit ad hoc concretum intelligentium tanquam forma, & tanquam formalis ratio non tanquam causalitas: ergo si vitalitas in actione consistit, hæc tanquam forma, & tanquam informatio ad hoc concretum intelligentium pertinebit.

P. Hurt. disp. 6. sect. 1. subf. 1. docet intellectionem includere actionem, passionem, & qualitatem productam per actionem. Huius sententiæ præcipuum fundamentum est, intellectionem esse exercitium vitæ, & hoc dicere essentialiter actionem, & passionem, deinde esse representationem obiecti, ac proinde includere qualitatem per actionem productam, quæ est imago obiecti. Impugnari à n. 5. vsque ad 8. rationes, quibus contendebar probare fuisse, intellectionem præter actionem, includere passionem & qualitatem, & statui ex locis ibi citatis, passionem non requiri ad immanentiam; modò iterum arguo ad hanc excludendam à ratione intellectionis. Passio tantum potest requiri, ut terminus per illam productus communicet suum effectum formalem subiecto, & ut constituat intelligentis principium, à quo fluit, sed totum hoc potest fieri sine passione: ergo passio non requiritur ad intellectionem. Probo minorem: forma non communicat suum effectum formalem mediâ passione, sed mediâ unione: ergo ut intellectus constituitur intelligens, non requiritur passio, sed tantum unio rationis formalis imaginis, seu representationis vitalis imbibitæ in natura intellectionis.

Deinde non placet, intellectionem constitui in duabus entitatibus distinctis: quod sic impugno. Qualitas secundum hanc sententiam est representatio obiecti: ergo per qualitatem obiectum est representatum formaliter, & expressè intellectu: ergo per qualitatem intellectus est formaliter intelligens. Negabis posteriorem consequentiam, quia intellectum esse intelligentem non solum dicit habere expressam representationem obiecti, sed actionem ex vi cuius representatio ab illo procedat. Contrā: si ratio procedens ab intellectu in ipsa intellectione distinguitur à ratione imaginis, & representationis, frustra productio imaginis requiritur ad rationem intellectionis, quia intellectio nihil aliud est, quā intellectus realis representatio obiecti, & qualitas illa distincta ab actione constituit obiectum representatum & intellectum informatum tali representatione, quod est formaliter intelligentem constitui: ergo tota ratio imaginis & representationis in qualitate distincta ab actione consistit. Ergo in eadem sita erit tota intellectionis ratio. Dices, præter representationem requiri actionem ad rationem formalem intellectionis, quia hæc includit vitam in actu secundo, quæ in actione consistit. Contrā sic infurgo: nullum est fundamentum ad tribuendam strictiorem, & magis intrinsecam vitalitatem actioni, quā imaginis, seu speciei expressæ: sed secundum hunc dicendi modum constituitur imago, & species expressa distincta ab actione, in qua constituitur vitalitas & tantum dicitur imago, & species expressa vitalis, quia est terminus vitalis actionis: ergo eadem ratione poterit dici intellectionem omnino indistinctam esse ab specie expressa, & dici vitalem ex eo quod sic terminus actionis vitalis: nullum enim caput invenitur, cur eadem vitalitas eodem modo sumpta, quæ speciei expressæ tribuitur, intellectioni sufficiens non sit.

Alij dicunt intellectionem consistere formaliter in qualitate, connotare tamen actionem ab intellectu procedentem. Contra hos connotatores fusè disputo in metaph. controu. 9. punct. 4. & passim multis in locis, modò rationē quamdam, quæ impugnandi sunt breviter attingo. Actio quæ pertinet ad intellectionem tanquam quid connotatum, vel est pars essentia intellectionis, vel non: Si est pars essentia, apertè defendis intellectionem dicere actionem, &

& terminum: si non est pars essentiae, totam rationem intellectus in actionis termino constituit: ergo posito termino intellectus constituitur formaliter: intelligens. Iterum repetis esse quid essentiale tanquam connotatum. Iterum incho: Actio ita in connotato sumpta, vel est constitutiva intellectus, vel non alio modo, illud, in connotato est additum diminuens seu destruens rationem essentiae; vel contrahens? si contrahens, ratio intellectus constituitur in actione & termino, si diminuens, intellectus essentia adaequata in termino constituta est: ergo hic dicendi modus coincidit in aliquem ex iam impugnatis.

§. III.

Propria sententia.

19 **P**lacet prae omnibus sententia, quae asserit intellectum consistere in qualitate seipsa immediate pendente ab agente per actionem secum identificatam nulla alia superaddita interiacente. Pro hac sententia refero Scotum, Durandum & Gabrielem, asserentes apud P. Suarez, de anima, c. 5. n. 30. nulla actione cognoscitiva produci terminum ab illa distinctum, pro eadem adduco Thomam, asserentem intellectum esse actionem sine termino, quorum sententiam ab hac non discrepare testatur Arriaga d. ip. 6. sect. 2. subsect. 3. n. 28. eandem ut probabilem libris de anima docuisse testatur P. Ripalda disp. 23. sect. 8. n. 43. eandem plures recentiores ingenio acres amplectuntur. Traditur haec sententia expressè à Philosopho 9. Met. c. 2. text. 31. & clariùs cap. 4. text. 16. ubi similes operationes vitales vocat usum, asseritque omni termino carere, & differentiam adducit inter adificationem & visionem, quod in adificatione praeter ipsam actionem adificandi datur adificium; seu domus adificata. tanquam actionis terminus; in visione autem praeter ipsam actionem nullus alius terminus reperitur ex vi actionis productus, quod rursus explicat dicens, actiones, quarum terminus est distinctus, transeuntes esse, illas verò quae terminum distinctum non habent, esse immanentes, & has esse visionem, speculationem, & vitam, hoc est, vitam in actu secundo, seu actionem vitalem, quae proprie est vita; vita enim in actu primo principium vitae, potius quam vita dici debet. Philosophum auscultate: Cum autem quorundam quidem ultimum sit usus, ut usus visio, & nihil praeter hanc aliud à vita fiat opus, à quibusdam verò fiat aliud, ut adificationis domus praeter adificationem: nihilominus tamen illis quidem finis, hic verò magis finis potentiae est, adificatio namque in adificatione finit & est cum domo. Quorumcumque itaque aliud quiddam praeter usum est id, quod sit, hominis actus in eo quod sit est: ut adificatio in eo quod adificatur, & contextio in eo quod contextitur. Similiter, & de aliis omnino motus in motu. Quorum verò non est aliud quiddam opus praeter actionem in ipsismet actio est, ut visio in vidente, & speculatio in speculante, & vita in anima. Nullis verbis clariùs praedictam sententiam poterat tradidisse Philosophus.

20 Eandem sententiam doceri à Doctore Angelico suadet testimonium descriptum ex opusculo quarto, tractatu de praedicationis, capite de actione: Similiter intelligere (verba sunt Angelici Doctoris) & sentire, sunt actiones immanentes, quia dicunt actum intelligendi, & sentiendi, esse actum in intelligente vel sentiente: haec autem actio immanens non est de praedicatione Actionis. In Angelicus Doctor constituit intellectum in actione, quam relegat à praedicatione Actionis, non alia de causa, nisi quia est identificata cum termino, ac proinde non est via inter terminum productum, & principium producendi. Sic interpretor testimonium Angelici Doctoris 1. part. quaestione 34. artic. 1. ad 3. Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam: in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quaedam in intellectu nostro: propterea intellectus noster sit in actu per formam rei intellectam. Excludit Divus Thomas ab intellectu rationem originis; nomine autem originis intelligit actionem à termino distinctam, non verò cum illo identificatam; constat enim ex praecedenti testimonio sanctum Doctorem constituere intellectum in actione, quod etiam in eodem articulo testatur immediate ad secundum: non enim intelligere significat actionem ab intelligente excurrentem, sed in intelligente manentem. Hac ratione rectè consonant omnia testimonia

Francisc. de Quiedo Philosoph. Tom. I.

Angelici Doctoris, quia in hoc articulo ad tertium dicit intellectum non importare originem, hoc est, actionem superadditam, cuius fundamentum dederat ad secundum, ubi dixerat intellectum importare actionem immanentem, quam putat non distingui à termino; ideo illam reiecit à praedicatione Actionis opus. 4. citato.

21 Hanc conclusionem probant rationes omnes adductae pro aliis sententiis, quae enim petitur ex vitalitate actionis, quae est exercitium vitae, ac proinde actio probat intellectum debere includere actionem, quod affirmo; non potest autem ex hac ratione inferri actionem hanc à termino distinguendam esse, quod inficior. Deinde ratio desumpta à representatione, & imagine, quae qualitati convenit, non probat, qualitatem hanc fore ab actione distinguendam, ac proinde nihil contra meam sententiam probat, imò eam stabilit, quia cum hac ratione probetur intellectus qualitate importari, & ex alio capite confleret simul importari actionem, & iam impugnauerim sententiam constituentem intellectum in qualitate & actione distincta, necessario concludendum est consistere in actione identificata cum termino, seu cum qualitate producta. Confirmatur eadem conclusio: intellectus est quaedam representatio, & imago obiecti, & non quaecumque representatio emortua, sicuti imago Caesaris in tabula, sed vivo modo tanquam perceptio, & caprio, seu apprehensio obiecti: ergo est representatio quaedam, quae intellectus apprehendit obiectum & illud quasi manu capit, per exercitium quoddam vitale: ergo est imago importans actionem quae apprehensio, & caprio est propriissimum vitae exercitium. Item intellectus dicit imaginem, quae imbibit animae attentionem, imaginatio enim formaliter dicit animi attentionem, sed attentio formaliter dicit conatum, & actionem: ergo intellectus dicit imaginem quandam intrinsecè inuolutam actionem, ergo dicit quandam actionem earentem termino distincto; actio enim intellectiva, quae inuoluit secum identificatam rationem imaginis, nullum potest habere terminum, quem ipsa respiciat.

22 In amore, de quo eadem est ratio ac de intellectu, speciale instituitur argumentum ad probandum in actione consistere, ex quo inferemus talem actionem carere termino, quia in illa tota ratio amoris sita est. Argumentum ita procedit. Cognitio in omnibus sententia praerequitur ad amorem, sed cognitio tantum requiritur ad actionem voluntatis: ergo in hac actione consistit ratio amoris. Probo minorem: cognitio ex parte intellectus requiritur, ut voluntas valeat se determinare ad obiectum amplectendum: ergo requiritur ad determinationem voluntatis: sed determinatio voluntatis consistit in actione, per quam ex actu primo reducitur ad actum secundum: ergo cognitio requiritur ad actionem voluntatis: ergo in actione consistit amor, ad quem cognitio praerequitur. Hac etiam ratione optime assignatur ratio formalis amoris, cui primario, & in se competat esse exercitium libertatis, quia hoc exercitium in actione consistit: ergo ad hoc ut amor sit exercitium libertatis, in ipsa actione constitui debet, per quam voluntas constituatur amans, quae cum per se ipsam hunc praestet effectum, nullo alio indiget termino, cui nullum superest munus, quod exerceat respectu libertatis, quae per actionem formaliter amans constituitur.

23 Neque in hac actione identificata cum ratione imaginis, & expressionis obiecti, in qua sita est intellectus adhuc intellectu praescindi potest ratio imaginis, à ratione actionis, quia ut modo dicebam, est quaedam imago vivo modo per modum captionis, & exercitij principij viventis, quae formalissimè dicit actionem. Secundo ratio ipsa imaginis, sicuti quaelibet alia formalitas creaturae essentialiter per se ipsam dicit respectum ad principium effectuum per exigentiam dependentiae, cum qua connexionem habeat, seu per dependentiam actualem secum identificatam: sed haec ratio imaginis non potest dicere respectum per exigentiam dependentiae superadditam, cuius est incapax, quia illud, quod realiter per se dependet, non potest adhuc formaliter habere exigentiam dependentiae superadditam, non enim potest formaliter exigere id, quod realiter habere nequit: ergo talis ratio imaginis dicit respectum ad principium tanquam quid per se ipsum ab illo dependens: ergo inuoluit formaliter rationem dependentiae, & actionis. Confirmatur: In omnibus formalitatibus, quae dependent

dependent media actione, non distinguitur ab ipsis formalitatibus exigentia dependentia ab ipsa formalitate exigente, quia eadem per se ipsam terminat dependentiam, quam non potest terminare: ergo in his entitatibus quae dependent sine actione superaddita praescindi nequit formalitas, ipsaeque dependet ab ipsa dependentia.

24 Ex his inferitur intellectionem includere saltem materialiter, & identice passionem, & unionem, quia utraque identificatur cum qualitate; asserto tamen unionem non pertinere ad intellectionem solum tanquam quid materiale identificatum cum qualitate, sed tanquam causalitatem, seu informationem qualitatis, quia ad hoc ut forma communicet suum effectum formalem subiecto, necessarium est illi esse unitam, vel media unionem superaddita. Unde intellectio, seu sensatio materialis, quae efficienter ab anima producitur, & recipitur in materia tanquam in causa materiali, necessarium est animae unitae, quia illam formaliter sentientem constituit tanquam vera forma. Itaque sensatio triplicem habet respectum ad animam, effectus producti per se ipsum, seu actionis identificatae cum termino; & formae informantis; & informationis. Ex his respectus actionis, & respectus formae pertinent ad rationem formalem, sensationis; posterior vero respectus est causalitatis, media qua formalis ratio sensationis suum effectum formalem animae sentientis communicat. Praeter hos respectus, inest conceptus passionis intellectio, & sensationi viventis anima materialis, qui respectus identificatus est physice cum ipsa ratione formali intellectio, seu sensationis, formaliter tamen ad illam non spectat, quia passio non requiritur, ut actio identificata cum termino unito per se ipsam principio, immanens sit, ut contra Hurtadum dicebam n. 5, neque ut forma suum effectum formalem praestet subiecto, ut fert communis sententia.

25 Dices eodem modo posse defendi intellectionem tantum includere materialiter actionem, quia intellectio tantum dicit formaliter representationem in intellectu, ad quam ratio formalis actionis impertinens est. Resp. intellectio formaliter includere ipsam actionem, quia non est representatio vtiusque, sed representatio viuo modo, quae formaliter dicit actionem, ut probabam n. 20. & quia ratio formalis representationis in cognitione non distinguitur adhuc formaliter à ratione formali actionis, ut dicebam n. 22.

S. IV.

Argumenta soluta.

26 Argumenta, quae possunt fieri contra actionem termino identificatam, solvenda sunt ex doctrina tradita in Physic. Contr. 12. Punct. 1. ubi probavi possibilem esse actionem identificatam cum termino; quae specialiter in hac materia fieri possunt breuiter proponam & solvam.

27 Obiicies primò: Intellectio diuina non importat actionem; ergo neque intellectio creata. Probo consequentiam: Intellectio diuina, & intellectio creata conueniunt in ratione intellectionis: ergo eo ipso quod intellectio diuina actionem non includat, non illam importabit ratio communis intellectionis abstrahens ab intellectione creata, & increata: ergo neque illam importabit ratio intellectionis creatae. Probo consequentiam: intellectio creata sufficienter distinguitur ab increata, ex eo quod intellectio creata sit ab alio; sed hoc quod est esse ab alio non dicit identitatem actionis cum termino; ergo intellectio creata in ratione intellectionis creatae non dicit identitatem actionis cum termino. Idem argumentum retorqueo in omnem sententiam; primò in sententiam, quae constituit intellectionem in termino distincto ab actione: Intellectio quatenus abstrahit à creata & increata, non dicit terminum distinctum ab actione; intellectio creata formaliter ut distincta ab increata tantum dicit esse ab alio; sed hoc quod est esse ab alio non dicit distinctionem termini ab actione, per quam est ab alio; ergo intellectio creata, ut intellectio creata est, non dicit distinctionem termini ab actione. Clarids idem argumentum retorquetur in opinionem constituentem intellectionem in actione, & termino, quia hoc quod est esse ab alio, per quod differt intellectio creata ab increata, non dicit aggregatum actionis & termini: ergo intellectio creata, ut intellectio creata est neque secundum rationem communem intellectionis, neque secundum rationem specialem intellectionis creatae dicit ag-

gregatum actionis, & termini. Facile posset respondere praedicto argumento, de ratione intellectionis ut sic esse non dependere à principio media actione, quod conuenit rationi communi intellectionis creatae, & increatae, deinde de ratione intellectionis creatae esse dependere ab alio aliquo modo, & consequenter esse dependere per se ipsam, quia habet ex praedicto communi non dependere media actione distincta & ex praedicto speciali per se ipsam, cum nullus alius dependendi superest modus.

Hac ratione sufficienter praedictae obiectioni satisfactum, nihilominus placet aliam reddere quae ex ipsis doctrinae visceribus defumatur. Dixi Controv. 1. 2. Punct. 4. de ratione actionis vitalis esse operationem, & hanc Deo competere, quia cum Deus intelligit, & amat intentionaliter operari dicitur, & ita dico modò de ratione intellectionis abstrahens ab intellectione creata, & increata esse operationem, & hanc contrahi in intellectione diuina ad operationem quandam identificatam cum ipso operante, quae actio dici nequit, quia non est ratio dependendi, neque per illam effectus aliquis dependet, & ita causalitas efficientis dici nequit, neque actio, quae essentialiter est efficientis causalitas. In intellectione creata ratio operationis, quam dicit praedictum commune intellectioni creatae, & increatae, necessarium contrahitur ad operationem quandam distinctam ab agente, quae essentialiter est causalitas, & dependentia, seu actio, quia non potest dari operatio creata identificata cum principio operante, & ita omnis intellectio creata est actio; & intellectio vero increata est specialis operatio contrahens rationem communem operationis, quae abstrahit ab operatione identificata vel distincta cum principio operante. Rogabis cur intellectio & volitio diuina dicantur operationes? Resp. intellectionem diuinam esse operationem intentionalem (idem de volitione intellige) quia est per quod formaliter Deus se determinat ad intelligendum, quae determinatio est exercitium vitae, & operatio Dei se determinantis, & cum per suam entitatem se possit determinare per suam entitatem nullo alio superaddito potest immanenter operari. In creaturis vero cum omnis determinatio necessarium sit futura per aliquid superadditum, hinc fit non posse per se ipsas operari, quia operatio includit determinationem, & sicut determinatio est superaddita cuiusque creaturae se determinanti, sic & operatio; & ita in creatura distinguuntur operatio ab actione, & dependentia. Ex hoc principio similiter inferitur cur intellectio creata actionem importet, quia omnis intellectio includit determinationem, quae est exercitium vitae, & Deus potest se determinare adhuc ad actionem, ad quam est indifferens, & liber per suammet entitatem, sine alio superaddito, creatura vero non se valet determinare absque aliquo superaddito, & ita Deus operari potest per se ipsum sine operatione ab ipso realiter distincta, creatura vero non potest operari nisi per operationem ab illa distinctam, quae est actio, & quia intellectio creata dicit operationem creatam, quae necessario distinguitur realiter ab operante, dicit actionem, quae nihil est aliud quam operatio distincta realiter à principio.

Obiic. 2. Per actionem praecise constituitur principium intellectuum viuens vitam rationalem; ergo de ratione intellectionis tantum est actio, & non terminus. Probo antecedens: illa actio esset immanens ratione termini, & non esset simplex emanatio, & nihil posset in illa considerari ad vitalitatem: ergo esset actio vitalis: ergo pertinet ad aliquam vitam speciem, non ad vegetatiuam, aut sensitiuam; ergo ad rationalem; ergo ex vi illius actionis principium intellectuum viueret vitam rationalem; ergo non pertinet ad vitam rationalem in actu secundo terminus: ergo neque ad intellectionem, quia recte conceptus intellectionis clauditur in ratione illa quae formaliter est in actu secundo rationalis vita. Respondco: Antecedens illud: Per actionem praecise constituitur principium intellectuum in actu secundo viuens vitam rationalem, posse intelligi de actione realiter à termino distincta, vel de actione realiter identificata cum termino, & formaliter ab illo praecisa. Si hoc posteriori modo intelligatur, negandum est suppositum in antecedenti subsumptum, videlicet conceptum specialem huius actionis sub determinata specie constituitur à termino distinctum; iam enim probavi numero 22, non posse in intellectione per se ipsam à termino procedente distinguere conceptum specialem actionis à conceptu termini, seu expressionis, vel imaginis per

per se dependentis: si antecedens intelligatur de conceptu metaphysico actionis respicientis terminum distinctum: similiter negandum est suppositum assumptum in antecedenti, quia dari nequit actio intellectiva respiciens expressionem, & imaginem intellectualem ad intellectiorem spectantem distinctam ab ipsa actione, & ita dari non potest conceptus metaphysicus talis actionis, quia repugnante physica entitate repugnat metaphysicus conceptus ab illa abstrahendus, cum nihil sit à quo abstrahatur, & ita quidquid metaphysice concipiatur, erit purum figmentum. Addo casu, quo posset præcendi siue physice siue metaphysice actio intellectiva ab expressione, & imagine intellectuali, quæ talis actio respiceret, intellectiorem distinctam esse inadæquatè à vita rationali, quia ratio vitæ in actione adæquatè consisteret, & ratio intellectiōnis præter actionem, includeret termini conceptum.

30 Obiicit tertio: Sequi ex nostra sententia intellectiōnem non esse rem, sed modum intellectus; quidem ab illo separari non posset adhuc de potentia Dei absoluta. Consequens videtur absurdum, quia est contra perfectionem intellectiōnis habere rationem modi, cum aliæ qualitates longè illa imperfectiores sint res, sicut calor, & frigus; & conceptus rei, conceptu modi perfectior sit. Nonnulli consequentiam negant, asserunt enim illa, quæ titulo dependentiæ à principio effectivo separari nequeunt, non ex eo quod ita cum illo sint conexa rationem modi trahere, aliis quilibet effectus Dei esset rationem Dei cum essentialiter ab illo dependeat, & ab illo separari non posset, & præcipuè Angelus creatus nullà obiecta actione, quem possibilem esse defendit communis sententia, & tamen nullus dicit Angelum esse modum Dei. Placeret solutio si intellectio tantum esset affixa intellectui titulo dependentiæ actiue; verumtamen cum eandem affixionem habeat titulo passivæ inhesionis, & titulo informationis, quæ per se ipsam intellectum informat, ita ut si per impossibile posset non dependere ab illo actiue neque passivè, non posset ab intellectu separari tanquam à subiecto informationis, difficile est conceptum modi intellectiōnis non tribui. Ideo respondeo nullū fore inconueniens rationem modi intellectiōni conuenire, quidquid sit de veritate rei, quæ ad hanc questionem non spectat, quia etiam si qualitates aliæ habeant cōceptum rei, & hic perfectior sit conceptus modi, intellectio habet alia prædicata, ratione quorum longè exsuperat excessum conceptus rei, qui aliis imperfectioribus qualitatibus, & non intellectiōni competit. de hac re latè Hurt. disp. 6. §. 134. de qua ego in Metaph. Controv. 4. Punct. 5. ubi essentiam modi definiam, modò enim ad præsentem questionem parum spectat cognitio- nem dici rem aut modum.

31 Obiicit quarto: Sequi ex nostra sententia habitus non concedi ad facilius operandum, sed ad simpliciter operandum, quia intellectio, quæ ab habitu pendet cum per se dependeat, non potest ab alio de potentia Dei absoluta non dependere. Hoc argumentum pugnat contra omnes, qui asserunt actionem ad intellectiōnem pertinere, siue simul cum qualitate distinctam, siue cum termino identificatam, ac proinde ab illo abstinuisse debebat Hurtadus, quod cum videret, asserit n. 50 ipsum non docere habitus concurrere actiue, & ita in ipsum hoc argumentum adduci non posse. Porro Hurtadus poterat hoc argumentum simul cum aliis, quibus probat habitus actiue non concurrere, adducere contra illos, qui habitibus concursum actiue tribuunt, & propriam sententiam illesam tueri. Respondeo, hanc obiectiōnem opportunitatem habere locum, si fiat contra habituum concursum; ideo dum de habitibus disputem Controv. 13. illam adducam & solum Punct. 4. placuit tamen illam hic attigisse, ne viderer quidquam, quod ad hanc questionem partim spectat non prudens, omittere.

§. V.

Nonnulla expediuntur de intellectu.

32 Secundum sententiam, quæ intellectiōnem in actione siue identificata, siue distincta à termino constituit, nullam intellectiōnem posse à Deo tanquam à causa adæquatè intellectu non concurrente procedere affirmant omnes. Ratio prælo adest: intellectio dependet per se ipsam ab intellectu: ergo non potest non ab illo procedere. Verumtamen posset aliquis asserere hac ratione probari

intellectiōnem, quæ semel dependet ab intellectu per se ipsam non posse non ab hoc procedere. Verumtamen non ex illa probatur possibilem non esse intellectiōnem aliam à specie distinctam, quæ per se ipsam à Deo dependeat tanquam à principio adæquato, ita ut non possit ab intellectu dependere. Sicuti actus supernaturalis per se ipsum dependet ab habitu, à quo non potest non dependere, nihilominus possibilem est actus supernaturalis, & crebro datur, procedens ab auxilio extrinseco Dei suppletis vices habitus, qui supernaturalis actus non poterit, neque diuina intercedente potentia ab habitu procedere. Contra hunc dicendi modum adducende essent rationes omnes, quibus probauimus intellectiōnem formaliter actionem importare, quæ non probant dicere quæcumque actionem: sed actionem procedentem à principio intellectu, quod per talem actionem constituitur viuens formaliter, & intelligens, quod non potest per actionem non procedentem ab illo fieri: enim per actionem ab alio principio posset hoc principium constitui in actu secundo viuens, posset etiam per qualitatem ab actione distinctam tale constitui. De habitu supernaturali longè est diuersa ratio, quia actus supernaturalis non dependet ab habitu immediatè, & per se, quia de ratione actus, ut supernaturalis, vel vitalis sit, non est hæc immediata dependentia ab habitu, sed quia per eum influxum, per quem actus dependet à principio intellectu dependet ab habitu, & cum à principio intellectu necessario dependeat immediatè, & per se, sic ab habitu eodem modo dependet, à quo immediatè dependere non indigeret, si ab illo non per eandem dependentiam, per quam dependet à principio intellectu, dependeret.

In opinione, quæ intellectiōnem constituit in qualitate producta maiori difficultate posset quæritio procedere. Negat adhuc secundum hanc sententiam intellectiōnem posse produci à Deo intellectu non concurrente P. Vasq. 1.2. disp. 9. cap. 4. Affirmant P. Suarez disp. 48. Met. sect. 2. n. 12. P. Mol. 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. P. Hurtad. disp. 6. sect. 3. subsect. 2. P. Arriaga disp. 6. sect. 2. subsect. 4. His assentior, quia qualitas illa, siue in illa consistat ratio adæquata, siue inadæquata intellectiōnis, siue tantum sit verbum non dependet per se, & immediatè: sed media actione superaddita, ut supponimus: ergo potest dependere adæquatè à Deo media actione, quia ex parte sua nulla est repugnantia, eadem enim esset, siue produceretur à Deo adæquatè, siue à Deo, & à creatura: ex parte Dei est virtus ad omnes effectus qui non implicant: ergo ex nullo capite repugnat qualitatem illam adæquatè à Deo produci.

34 Obiicit P. Vasquez: De ratione actus vitalis est, ut per illum attendat potentia: sed non potest attendere nisi per actionem dependentem ab anima: ergo non potest produci actus vitalis nisi per actionem ab anima dependentem. Contra: vitalitas vel dicit actionem dependentem ab anima, vel non? si eam dicit, qualitas distincta ab actione neque à Deo neque ab anima producta intrinsece vitalitatem habebit: ergo ex eo quod qualitas producta à Deo vitalitatem non haberet, non repugnat ab illo produci, siquidem à quocumque principio producta intrinseca vitalitate carebit. Ex hac doctrina facile respondeo, qualitatem vitalem non posse produci à Deo, nego tamen qualitatem esse vitalem in se & intrinsece, sed tantum denominatiue ab actione vitali, quam vitalitatem concedo qualitati defecturam casu quo adæquatè à Deo procederet, quod nullum est inconueniens; si enim semel admittitur vitalitatem esse extrinsecam qualitati, in qua intellectio consistit, absque illo inconueniente admitti potest posse existeri sine vitalitate, quæ illi extrinsece, & per aliquid superadditum contingit. Si dicas vitalitatem esse intrinsecam qualitati distinctæ ab actione, inferam ego vitalitatem formaliter non dicere actionem, neque attentionem: si attentio essentialiter importat actionem, & si attentio in ipsa qualitate consistat, dicam illam qualitatem per se ipsam esse vitalem, & esse animi attentionem, & nihilominus posse produci adæquatè à Deo, quia vitalitas & attentio identificata cum qualitate formaliter non dicitur animæ actionem, sed tantum qualitatem dependentem ab anima per actionem superadditam, ac proinde capacem non dependendi ab eadem anima. Moneo tamen argumento modò facto pro P. Vasquez: & aliis similibus petitis ex vitalitate animi, probari intellectiōnem importare qualitatem cum

actione identificatam, quod requiritur, ut qualitas, in qua sita est intellectio, non possit à Deo produci: omnes enim rationes, quæ probant qualitatem non posse adæquatè à Deo produci, probant immediatè per se ipsam dependere ab anima.

35 Secundò inquiritur, an intellectio possit vniri subiecto extrinseco. Satisfaciendum est huic quæstioni eodem modo ac præcedenti: si enim intellectio dicat actionem, siue distinctam, siue identificatam cum termino, non poterit extraneo subiecto vniri: quia per se ipsam proprio vnitur. Si verò dicat qualitatem ab actione distinctam vnitam proprio subiecto per vnionem intermediam, poterit illi non vniri, sed alijs subiecto extraneo. Idem dico de qualitate distincta ab actione, seu de verbo producto per actionem intellectiuam, casu quo intellectio consistat in actione terminata ad qualitatem distinctam.

36 Obiic. Si intellectio posset vniri lapidi, sequeretur posse lapidem intelligentem constitui; consequens est falsum: ergo & antecedens. Si consequentia teneret, absurdum reducerem in sententiam, quæ constituit intellectiorem in qualitate distincta ab actione vnita subiecto per modum superadditum; ex qua consequens illud deduceretur, ex eo enim quod intellectio non vnitur per se ipsam infertur posse vniri subiecto extraneo, ac proinde omnia absurda, quæ secum traheret hæc vnio tanquam ex primo principio inferrentur per legitimas consequentias ex conclusione, quæ traditur intellectiõem vniri animæ per vnionem superadditam, & ita à posteriore huius conclusionis falsitatem ostenderem, non verò conclusionis, quæ dicimus intellectiõem posse subiecto extraneo vniri ex suppositione quod vnatur proprio per vnionem superadditam. Verumtamen ad hæc deueniri necessum non est, quia consequens nullatenus ex antecedenti deducitur, quia intelligens non est intellectio in quocumque subiecto, sed in subiecto capaci, & eadem forma potest denominare hoc subiectum intelligens, & non illud, etiam si vtrique posset vniri, sicuti eadè gratia habitualis vnita animæ illam constituit sanctam, & obiectum amicitie Dei, & vnita lapidi, vel cuiusque nature non rationali, non constitueret tale subiectum sanctum. Ad illud, quod vulgo obiicitur: non posse formam esse in subiecto, cui non præstet suum effectum formalem, & effectum formalem intellectiõis esse constituere subiectum intelligens, sæpe in similibus casibus respondi effectum formalem esse totum constitutum, quod semper resultat ex informatione vnionis ad subiectum; resultat tamen diuersa tota ex eadem forma secundum diuersitatem subiectorum, & ita diuersum totum resultat ex intellectu, & anima ac intellectu & lapide & consequenter diuersus effectus formalis, qui à toto non distinguitur ex intellectu, & anima resultat hoc totum, seu hic effectus formalis intelligens, & percipiens obiectum, & ex intellectu & lapide resultat aliud totum, quod non est percipiens obiectum, neque intelligens, neque proprium habet nomen, quo illud appellare possimus.

37 Obiic. Possit intellectiõem vniri extraneo obiecto, etiam si per se ipsam vnatur proprio, ex hac vnione identificata cum intellectu tantum infertur, non posse non vniri proprio subiecto, non tamen infertur non posse vniri per aliam vnionem superadditam subiecto extraneo, ita ut per se ipsam sit vnita proprio subiecto, & per vnionem superadditam extraneo. Sæpe incidi in similem doctrinam, & illam impugnauimus, quia entitates quæ per se ipsas aliquod subiectum afficiunt, non possunt sub eadem ratione aliud eodem modo afficere, sicuti actio per se ipsam dependens ab hoc principio non potest mediâ aliâ actione ab alio dependere: neque præsentia per se ipsam respiciens hoc spatium per modum alium superadditum, aliud respicere; neque vnio extremorum per se ipsam illis affixa, potest eadem ratione alijs vniri, v. g. vnio integralis partium quantitatis, licet possit terminare vnionem ad subiectum quod informat, non potest terminare aliam vnionem integratè alijs partibus, de quibus proprijs locis disputaui.

38 Tertiò inquiritur, an possit esse cognitio reflexiua supra se ipsam? In qua re dicendum est non omnem cognitionem esse reflexiuam supra se ipsam, sed plures cognosci per alias superadditas. Conclusionem hanc manifesta experientia probat, quia non quotiescunque cognoscimus aliquod obiectum, cognoscimus illud à nobis cognosci, sed sæpe post aliquod tempus illud cognouisse adinaduertimus, ex quo infertur priorem cognitionem non cognosci

per se ipsam sed per aliam: quia si per se ipsam cognoscitur, nullo tempore, in quo existeret, posset non cognosci. Dicendum est secundò, posse dari cognitionem reflexiuam super se ipsam, ita ut sit sui ipsius cognitio, & implicet exte-
39
tere quin per se ipsam cognoscatur. Probatur hæc conclusio, quia nulla apparet repugnantia in tali cognitione. Secundò quia cum dico, omnis actus intellectus est cognitio, cognitio ipsa, quæ veritatem hanc cognosco, se tenet ex parte obiecti, & supra se ipsam reflectitur: ergo sicuti datur cognitio se ipsam per reflexionem confusè cognoscens, poterit dari alia, quæ expresse se ipsam cognoscat.

Obiicies obiectum dicere ordinem ad cognitionem, & est prius illa: ergo non potest identificari cum ipsa. Resp. non omne obiectum esse prius cognitione, neque dicere ordinem ad cognitionem, aut esse causam illius, sed tantum obiectum distinctum à cognitione, quod medijs speciebus influit in eandem cognitionem, ut patet in ente rationis, quod non est prius cognitione, quæ fit, neque illius est causa & in cognitione, quæ seipsum Deus cognoscit, quæ est cognitio sui ipsius, & non est prior se ipsa neque ad se ipsam relationem dicitur.

§. VI.

De Verbo mentis.

AD perfectam notitiam nature cognitionis oportet explicasse naturam verbi, quod producitur à cognoscente, de qua lætè disputat P. Hurtad. disput. a. sect. 7. & sequentibus; ego quæ ad illius notitiam necessaria sunt, breuiter exponam. Dicendum est nullam cognitionem creatam reperiri sine verbo. Hanc conclusionem rectè tradidit Hurtad. suprà §. 80. ex Patribus Molina, Vasquez, & Suarez, quam probat auctoritate Augustini & D. Thomæ, quorum testimonia videri possunt apud ipsum Hurtad. & apud P. Valsq. p. 1. disp. 38. n. 6. Ratione conclusio probatur. Omnis qualitas producta per actionem intellectuam seu diuinam ab intellectu per modum manifestantis, est verbum: sed in omni intellectu creatura reperitur hæc qualitas: ergo in omni intellectu creatura reperitur verbum. Minor constat ex iam dictis de natura intellectiõis; reliqua probatione non indiget.

Dictio est productio verbi quam dari in omni intellectu creatura cecum est, quia verbum productum est per aliquam actionem siue cum illo identificatam, siue ab illo distinctam, & quæcumque illa sit, dictio dicenda est, quia hæc nihil est quam actiua productio verbi, quæ nunquam separari possunt: nullus enim potest edere verbum sine obiectiõne, seu productione illius, quia de ratione verbi est esse productum.

Ex his infertur in nostra sententia non distinguere actionem intellectuam à qualitate ex vi illius producta verbum non distinguere à dictione, quia non distinguitur qualitas producta, in qua consistit verbum ab actione per quam producitur, in qua dictio consistit. Infertur secundò, in diuinis cognitionem essentialem non esse dictionem, quia cognitio essentialis non est productio, neque terminum habet productum, aliàs Verbum, & Spiritus sanctus dicerent, & verbum producerent, quia omnia essentialia toti Trinitati sunt communia. Infertur tertiò cognitionem notionalem in Patre, quæ per connotationem ad propriam personalitatem tantum ab essentiali distinguitur, esse dictionem, quia est productio verbi. Infertur quartò secundam personam Trinitatis, seu Filium esse Verbum, quia est terminus productus per dictionem. Infertur quintò in diuinis totam rationem formalem intellectiõis includi in dictione seu productione actiua Verbi, quod Verbum non constituit Patrem, seu primam personam Trinitatis intelligentem: quapropter dici non potest Pater est sapiens sapientia genita. In nostra verò sententia in intellectu creato, dictio & verbum non distinguuntur, secus in opinione, quæ distinguit qualitatem ab actione, mediâ qua producitur.

Difficultas est, quomodo requiratur verbum in cognitione creata. Affirmant plures Thomistæ requiri, ut intellectus in illo tanquam in obiecto prius cognito cognoscat obiectum, & hanc putant esse mentem Angelici Doctoris, quæ alienum esse rectè probat Hurtadus suprà. Verbum non requiri prædicto modo defendunt auctores nostre Societatis, & est communis Scholasticorum sententia: nullum do, quia plures quisque inueniunt. Conclusionem hanc experientia

experientia ipsa demonstrat, experimur enim in cognitione cuiuscumque obiecti non cognoscere verbum aliquod, seu internam mentis imaginem, in qua obiectum cognoscimus, neque tale verbum cognitum vtile esset ad obiectum externum cognoscendum, quia verbum internum nullam habet similitudinem formalem cum obiecto externo, & est longe diuersæ rationis ab illo, & imperfectius obiecto, quando obiectum est aliqua entitas perfecta, veluti totum substantiale, vel animus rationalis: ergo in illo verbo non possunt obiecta illo perfectiora quidditatiue cognosci. Clarius experientia adducta cernitur in sensationibus corporeis, in quibus eodem modo de specie expressa, ac de intellectu verbo Doctores philosophantur: visio enim corporea, non ad speciem expressam residentem in organo terminatur, neque illa vquam vidimus, neque audimus speciem expressam sensationis auditus: ergo sensationes externæ non terminantur ad species expressas productas per actionem sentiendi: ergo neque intellectio ad speciem expressam productam per actionem intelligendi, siue distinctam, siue identificatam cum actione, per quam producit. Viget in voluntatis actibus: Volitio immediate terminatur ad obiectum externum, & non ad qualitatem productam per actionem volitiuam correspondentem verbo intellectus, quæ dicitur pondus in obiectum: ergo intellectio eodem modo terminatur immediate ad obiectum. Probo antecedens, quando ego desidero pecunias Petro, vel dignitatem Ioanni conferendam, non desidero pecunias, aut dignitatem conferri termino productum in mea potentia volitiua per ipsam volitionem, sed immediate Petro & Ioanni: neque desidero Petro, & Ioanni conferri qualitatem, quam ego per volitionem produco, sed ipsas pecunias, & eandem dignitatem: ergo in his actibus neque obiectum respectus ad rem concupitam, neque ad personam cui concupiscitur, est qualitas internè producta, neque hæc est finis eius, aut finis qui horum actuum: ergo actus immediate terminatur ad obiecta externa, & non qualitatem internam. Confirmatur respectu motui formalis cuiuscumque volitionis, quod non est qualitas internæ, sed obiectum externum, ut per se patet, non enim mercator propter qualitatem internam se mari committit, nec propter hanc agricola semen terræ credit, sed propter lucrum, quod expectat. Neque in motiuo charitatis erga Deum aliter dici potest: si enim hoc non esset diuina bonitas, actus charitatis erga Deum non esset Theologicus neque immediate propter ipsum Deum: ergo eodem modo philosophandum est de actibus intellectus.

44 Paritatem modò petitam ex obiecto actuum voluntatis ad obiecta actuum intellectus vigeo ex fundamento, quo mouentur Thomistæ ad tribuendum verbo hoc officium primarij obiecti. Ideo requirunt Thomistæ verbum immediate terminare intellectionem, quia obiectum est distans, & non potest illam terminare: sed non obstante hac distantia obiectum voluntatis potest immediate terminare volitionem: ergo eadem non obstante obiectum intellectus poterit terminare immediate intellectionem. Rursus idem fundamentum euerto: cognitio, etsi primariò terminetur ad verbum secundariò terminatur ad obiectum medio verbo: ergo verbum debet terminari & dicere ordinem ad obiectum non medio alio verbo: ergo immediate per se ipsum: ergo cognitio medio verbo, & verbum per se ipsum terminatur ad obiectum distans: ergo ratione distantie rectè poterit cognitio terminari immediate ad idem obiectum, cur enim distantia, quæ non impedit terminationem immediatam verbi, & mediatam cognitionis, impediret terminationem immediatam cognitionis? Neque solutio ne indiget ratio ista à Thomistis pro sua sententia adducta, quia terminare præcisè secluso influxu actiuo ex parte obiecti nihil est illi intrinsicum, neque dicit causalitatem aliquam, adhuc extrinsecam ab illo procedentem; sed tantum est extrinseca denominatio, quæ potest competere obiecto absenti, imò & non existenti, ut dicebam Contr. 4. Punct. 4. ubi probaui posse dari sensationem externam circa obiectum absens, & non existens, & Thomistæ concedunt relationes prædicamentales respectantes terminos loco distantes, & transcendentales ad terminos purè possibiles, & non existentes.

45 Obiic. Thomistæ. Cognitio variatur inuariato obiecto: ergo quia variatur verbum, in quo obiectum cognoscitur. Hoc argumentum refutetur quæ Aristaga: Verbum variatur, inuariato obiecto: ergo quia variatur aliud verbum,

Necessariò dicere debes variari verbum inuariato obiecto ratione principij, vel modi producendi: dic ergo eadem ratione inuariato obiecto variari cognitionem, & verbum, quod nos constituimus nullo modo terminans cognitionem, quia variatur principium, vel modus producendi cognitionem, & verbum se tenent ex parte actus, nullo verbo se ex parte obiecti tenente.

Obiic. insuper: quando quis diu vidit Solem, postea clausis oculis videt lucem: ergo ex eo quod verbum ibi permansit. Hoc argumentum eiusdem rationis est cum aliis pro hac sententia adductis, illud explico. Quando clausis oculis videtur lux, ibi permanset verbum cum speciebus, vel sine illis: si sine speciebus, eodem modo visio sine speciebus poterit dari cum illis; ergo species illæ, quæ deseruiunt ad productionem verbi, deseruire poterunt ad productionem visionis. Secundò etiam ibi permanset verbum, datur visio non solum verbi, sed lucis, ut intendit obiectio: ergo admissio hoc verbo, quod intendunt Thomistæ, remanet integra difficultas, quomodo sine speciebus lucis possit hæc videri, quia etsi in verbo videatur lux, non videtur per species verbi, sed per species sui. Ex his infero, hanc obiectionem ad rem non esse: tamen opportunè in alia materia obiciatur, respondendum est, tunc non verè lucem videri, sed vehemènti imaginatione falli intellectum indicantem tunc lucem videri.

PUNCTVM II.

De apprehensione, iudicio, atque discursu.

Primus actus intellectus apprehensio dicitur, quo obiectum sine affirmatione, aut negatione tangit intellectus, illudque tantum percipere, quod idem est ac apprehendere, dicitur; & hic actus, seu hæc apprehensio prima intellectus operatio appellatur. Hæc apprehensio duplex est, quædam simplex, alia composita: apprehensio, quæ obiectum percipitur absque vlla conuenientia, aut comparatione, apprehensio simplex dicitur, illa verò quæ obiectum cum aliqua conuenientia, & comparatione attingit, composita appellatur. Negant nonnulli dari hanc compositam apprehensionem, sed immeritò, quia quædo audio propositionem aliquam proferri ab alio, & illius obiecto assensum non tribuo, neque positiuè dissentior, sed suspensio iudicio hæreo, tunc totam compositionem, & extremorum conuenientiam apprehendo, & nihil iudico: ergo circa obiectum, quo alius iudicat, ego habeo apprehensionem: ergo apprehensio, & iudicium non semper differunt ex parte obiecti, sed tantum ex modo tendendi in illud, & apprehensio attingit eandem conuenientiam, in quam fertur iudicium. Addo cognitionem, quæ apprehendo hominem, & cognitionem, quæ iudico hominem esse animal rationale tantum differre ex parte actus, non ex parte obiecti primarij, quia homo, & animal rationale ex parte obiecti non distinguuntur, neque conuenientia inter hæc extrema ab ipsis ex parte obiecti differt. Diuerso tamen modo differt cognitio, quæ dico: Homo est animal rationale, à cognitione, quæ apprehendo tantum hominem, ac differt à cognitione quæ apprehendo totum hoc complexum: Homo est animal rationale, quia etsi ab utraque differat tantum ex parte actus, ut modo dicebam, tamen apprehensio illa, quæ fertur in hoc complexum: Homo est animal rationale, absque iudicio, affirmatione, aut negatione ex parte actus conuenientiam attingit, licet non affirmatiuè, sed tantum dubitatiuè, seu purè apprehensiuè: alia verò apprehensio, quæ tantum hunc terminum simplicem homo tangit ex parte actus non fertur in aliquam obiecti conuenientiam.

Iudicium definitur: *Affirmatio, vel negatio*. Alio modo absque vlla disunctione *Vnius de alio interna enuntiatio*, seu: *cognitio, quæ sententia fertur de aliquo obiecto*, quæ definitiones apprimè naturam iudicij explicant, illudque ab apprehensione secernunt. Est difficultas an in iudicio reperiarur vnus simplex actus, quo totum obiectum, extrema videlicet, & identitas inter illa cognoscantur; an verò reperiantur in illo tres cognitiones, duæ ad duo extrema, & alia ad illorum identitatem, seu connexionem terminatæ. Procedit eadem quæstio de apprehensione complexa, quæ eadem ratione resoluenda est.

P. Vasquez prima parte, disputatione ducentesima vigesima tertia, capite tertio: refert opinionem quorundam asserentium

asserentium iudicium dicere tres conceptus, duos distinctos terminatos ad duo extrema, & tertium alium terminatum ad copulam, ex vi cuius vniuntur alij duo, & resultat iudicium constans duobus actibus tanquam illius partibus, & alio tanquam horum vnione, sicuti homo constat materiâ, formâ, & vnione. Pater Molina 1. part. quæst. 1. art. 3. disp. 3. §. Quod si aduersus, videtur huic sententiæ consentire, quatenus asserit, iudicium dicere actus distinctos terminatos ad extrema, & ad illorum copulam, differt tamen ab illa, quia asserit totam rationem formalem iudicij consistere in actu illo, qui ad copulam extremorum terminatur, & duos alios tantum se habere tanquam conditionem, sine qua actus terminatus ad copulam nequit existere. Circa mentem huius Doctoris mihi dubium est, an actus ille terminatus ad copulam constitatur tanquam nexus, & vnio aliorum duorum actuum formalium, vel tantum dicatur vnio extremorum, quia ex vi illius cognoscuntur vt vnita obiecta duorum actuum. Sanè malum inclinor in posteriorem huius partis explicationem, ita vt tantum sentierit P. Molina iudicium dicere tres conceptus duos terminatos ad extrema præsuppositis, & tanquam conditiones ad tertium terminatum ad copulam, qui est nexus non duorum priorum actuum, sed suorum obiectorum, quia manus, quod huic copulæ tribuit sapientissimus Doctor, est connectere extrema talis pronuntiati, quod rectè de extremis obiectiuis explicatur. Deinde inter explicandam huius copulæ naturam asserit, non esse nudè apprehendere copulam, sed quoad nutum, seu assensum vel dissentiam veritatis illius quibus innuere videtur sapientissimus Pater hunc tertium conceptum attingere per se ipsum connexionem extremorum & ipsa extrema, & dici copulam, quia non extrema soluta, sed connexa formaliter ex vi illius attingit, & quia supponit duos alios conceptus. Quæ sententia sic explicata non differt ab illa, quæ asserit iudicium consistere in simplici quodam actu. Quod enim actus iste alios supponat, vel non supponat, alia est difficultas, quam diuerso modo auctores definiunt. Pater Vasquez supra numero decimo quinto, docet iudicium dicere duos conceptus, alterum prædicati, alterum subiecti, quibus extrema concipiuntur, non absolute, sed ita relate, vt vnum alteri conueniens representetur. P. Hurtadus disputatione 7. sectione secunda, P. Arriaga disputatione 6. sectione quarta, & communis recentiorum sententia, docet iudicium consistere in quadam simplici qualitate indiuisibiliter terminatâ ad extrema, & ad ipsorum vnionem.

4 Primam sententiam constituentem in iudicio duos actus medio alio vnitos impugnât P. Vasquez, quia actus illi sunt accidentia adæquata, & ita inter se vniri non possunt, neque vnquam Philosophia cognouit nouam vnionem accidentium sine noua subiectorum vnione. Respondebunt aduersarij actus illos, est inter se distinctos, realiter non esse adæquatos, quia ex natura sua ordinantur ad componendum iudicium, sicuti materia, & forma ad vnionem componendam, ita rectè posse vniri, neque esse contra rectam Philosophiam dari duos actus inadæquatos vnitos medio alio, sicuti dantur duo gradus caloris in eodem subiecto vniti mediâ aliâ vnione caloris, ex vi cuius calor intensus constituitur, quod verò præcesserint, vel non præcesserint sine vnione, parum ad rem attinet. P. Molina asserit iudicium non posse consistere in tribus actibus, quia esset vnum per accidens. Docent aduersarij tres actus vnitos non constituere vnum per accidens, sed vnum per se.

5 Contra prædictam sententiam sic arguo: Actus ille tertius terminatus ad connexionem extremorum vel formaliter in se est assensus, vel tantum ex vi illius resultat assensus, quia vnit actus terminatos ad extrema, & ipse ad ipsorum connexionem terminatur. Si primum dicas, infero actum iudicij non consistere in complexo resultante ex triplici actu, sed in illo tertio vniente duos actus extremos. Si secundum, infero apprehensionem compositam, per quam apprehendo propositionem ab alio prolatam esse iudicium, quia terminatur ad extrema, & ad connexionem illorum. Confirmatur: ex eo præcisè constituitur iudicium secundum hunc dicendi modum, quia dantur duo actus terminati ad extrema, vniti alio actu terminato ad ipsorum connexionem: sed in illa apprehensione composita dantur duo alij actus vniti alio tertio terminato ad connexionem extremorum, quæ respiciunt actus vniti;

ergo illa apprehensio formaliter est iudicium. Secundo eandem sententiam impugno. Implicat actum dari terminatum ad vnionem extremorum, qui non terminetur ad ipsa extrema vnita: ergo posito actu terminato ad extrema superfluum duo alij actus terminati ad extrema, & non ad vnionem. Antecedens probatur: extrema identificata non vniuntur per aliam vnionem superadditam, sed formaliter per se ipsa, quia illorum vnio tantum est ipsorum identitas, & nihil identificatur cum alio per aliquam superadditam, sed formaliter per se ipsum: ergo actus, qui attingit vnionem, seu identitatem extremorum, debet attingere id per quod formaliter identificatur: ergo debet attingere formaliter ipsa prædicata identificata, quibus vnio ab identitate non distinguitur: ergo non datur actus terminatus ad vnionem seu identitatem, qui non terminetur ad ipsa extrema identificata, intellectus enim non concipit identitatem extremorum tanquam quodam illis distinctum. Idem argumentum fit de dissensu, seu dissensione extremorum, quia cum ego dico, *Petrus non est equus* non apprehendo aliquid medium inter Petrum, & equum, ratione cuius distinguantur, Petrus enim per se ipsum non est equus, & equus per se ipsum non est Petrus.

Iudicium non includere duos actus illos, quos ponit Pater Vasquez, sic probatur: Non potest cognosci homo conueniens rationali, quin ex vi eiusdem actus cognoscatur rationale conueniens homini: ergo posito quodam actu, quo cognoscatur homo conueniens rationali superbiat actus distinctus, quo cognoscatur rationale conueniens homini. Probo antecedens: hominem conuenire rationali, est hominem esse idem cum rationali: sed hominem esse idem cum rationali, & rationale esse idem cum homine, sunt formaliter idem: ergo hominem conuenire rationali, & rationale conuenire homini sunt formaliter idem: ergo per eundem actum, quo cognoscitur hominem conuenire rationali, cognoscitur rationale conuenire homini: ergo iudicium non dicit duos illos actus distinctos, quos P. Vasquez in illo constituit. Secundò ad hominem arguo: duo illi actus vniri nequeunt in sententia Petri Vasquez, qui primam opinionem impugnât ex eo quod actus distincti, quos illa constituit non possunt vniri: ergo si iudicium consistit in duobus illis actibus, non est accidens, sed quoddam aggregatum accidentium. Rursus quilibet actus vt distinctus ab alio non est formaliter iudicium: ergo est apprehensio: ergo iudicium est aggregatum apprehensionum: ergo apprehensio, & iudicium tantum differunt penes magis, & minus accidentaliter, sicut differt vnus homo à pluribus hominibus.

Ex his inferitur iudicium consistere in simplici actu, ex vi cuius cognoscitur connexio, seu identitas extremorum, & ipsa extrema formaliter ab ipsa connexionem indistincta adhuc ex parte actus, quia cognoscere identitatem est cognoscere hoc esse illud, quod cognosci nequit, quin cognoscatur hoc, & illud, neque aliud est cognoscere hoc esse illud, quàm certo modo hoc & illud cognoscere, quia ex parte obiecti nulla formalitas correspondet copulæ est distincta à formalitate extremorum.

Obiicies. Quando audio hanc propositionem *Petrus est albus*, successiue formo tres conceptus, audio enim *Petrus*, apprehendo vnum extremum; audio *est* apprehendo copulam; & audio *albus*, apprehendo aliud extremum; ergo in iudicio reperiuntur tres conceptus. Respondeo his vocibus successiue auditis successiue formari tres conceptus, non tamen ex illis fieri vnum iudicium, quod semper consistit in indiuisibili actu, sed prius audio vno extremo illud apprehendit intellectus, deinceps auditâ copulâ, intellectus alium conficit actum, ex vi cuius tangit iterum extremum prius apprehensum, copulam, & aliud extremum vagum, seu in communi, & dicit *Petrus est aliquid*: vltimò audio alio extremo tertium actum conficere attingentem duo extrema, & illorum copulam, per quem dicit *Petrus est albus*, in quæ tota adæquata ratio iudicij est constituenda, quem actum primò intellectus eliciuisset, aliis duobus prioribus omisis si simul totum hoc complexum *Petrus est albus* fuisset applicatum.

Hanc eandem doctrinam tradit Arriaga, vt huic argumento satisfaciât, & defendat iudicium in simplici qualitate consistere: nihilominus num. 8. propter hoc argumentum asserit apprehensionem huius complexi *Petrus est albus*, posse esse compositam diuersis actibus elicitis, eadem successione,

suecessione, quā voces audiuntur, & n. 84. disparitatem adducit inter iudicium, & apprehensionem, quia vno extremo tantum conceptio non potest dari iudicium, quia iudicare est enunciare vnum de alio, tamen potest dari apprehensio, quæ simplici termino contenta est, & hac ratione potest apprehensio illa componi pluribus apprehensionibus suecessiue elicitis, & iudicium semper in simplici qualitate debet consistere. Disparitas hæc ad rem non est, quia ex illa tantum potest probari actus illos, qui præcedunt iudicium de hoc complexo non esse iudicia, sed apprehensiones, & actus, qui præcedunt apprehensionem de eodem complexo suecessiue audito esse apprehensiones, non tamen probatur ex illa, duas apprehensiones præcedentes simul cum tertia aliam componere. Fateor etiam hanc vltimam apprehensionem alias apprehensiones supponere, sed affirmo omnes esse adæquate distinctas, & nullam dari ex illis compositam, quia sicut iudiciū non cōponitur ex apprehensionibus, quæ illud præcedunt, neque apprehensio componitur ex apprehensionibus quæ illam præcedunt. Deinde quando ego suecessiue audio hoc complexum *Petrus est albus*, antequā de illo iudicium feram postquā totum illud audiui, vt primū percepi has voces, *Petrus est*, nondū tertia percepta eliciū iudiciū, quo de Petro prædicatū, vagum, seu commune enūciaui: ergo ante illud iudicium, quo dixi *Petrus est albus*, præcessit aliud iudicium: ergo sicut iudicium illud vltimum simplex dicitur etiam si aliud habuerit præcedens: ita apprehensio simplex dicitur, etiam si aliam apprehensionem habuerit præcedentem. Sit ergo firmum apprehensionem de toto illo complexo esse simplicem quemdam actum; quod eodem modo probatur, ac de iudicio, scilicet quia nullus actus potest attingere vnionem, seu identitatem extremorum, quin ipsa extrema vnita pertingat, & ita in illo tota adæquata ratio apprehensionis de illo obiecto complexo consistet.

10 De iudicio hypothetico idem iudicium tenendum est, quia cum ego dico: *Si Petrus currit, mouetur*, conditio, vt in Summulis explicabam, est affectio prædicati, quod formaliter vt affectum tali conditione, dicitur de subiecto, & terminat copulam propositionis, seu identitatem cum altero extremo. Idem tenendum est de his iudiciis: *Petrus currit*, vel *legis: Petrus currit, & Ioannes legit*, quia in duobus prioribus affirmatio est sub disunctione duorum extremorum, quorum disunctio necessario terminat actum ad vtrumque extremum terminatum, in quo totum iudicium consistit, & vltimum iudicium affirmatio est cum conjunctione eadem ratione cognoscenda per actum ad vtrumque extremum coniunctum terminatum, in quo totum iudicium coniunctum situm est.

11 De Disursu nihil speciale dicendum occurrit, præter illa, quæ in Logica de illo tradita sunt Controu. 9.

PUNCTUM III.

An possint componi supernaturaliter assensus, & dissensus, amor, & odium de eodem obiecto in eadem potentia.

1 Difficultatem hanc multi passim attingunt, quam ego non ita breuiter tractabo, quia non communi acquiesco sententiæ, & in his quæ auctoritatis Doctorum inopia laborare videntur, semper debet esse vberior pertractatio, & locupletior rationum suppellex.

§. I.

Doctorem placita, & status questionis.

2 Difficultas hæc eadem est in actibus intellectus, & voluntatis: eadem enim repugnantia, quæ est inter assensum, & dissensum respectu eiusdem potentie est inter amorem & odium. Sed tota solutio pendet ex doctrina tradenda de actibus intellectus, ex qua facili poterit in actibus voluntatis præfens dissolui difficultas. Dicam quid sentiam de oppositione inter assensum, & dissensum, & ex hac oppositione procedam ad oppositionem inter volitionem, & nolitionem efficacem de eodem obiecto.

3 Reliquæ qualitates non vitales inuicem se gradibus remissis ferunt: assensus tamen & dissensus; amor, & odium efficac de eodem obiecto ita indiuisibiliter opponuntur,

vt per minimum gradum assensus totus dissensus, etsi intensissimus corrumpitur, & in amore eadem indiuisibilis oppositio mutuò reperitur. Ex hac peculiari oppositione, quam habent qualitates vitales, quæ primæ qualitates, & aliæ ex his ortæ carent, peculiaris insurgit dubitandi ratio, an saltem de potentia Dei absoluta possint simul eandem potentiam afficere, assensus, & dissensus, amor, & odium, neque de intensione, sub qua existeret, qui de hac re disputant mentionem faciunt, quia tota difficultas est in conjunctione horum actuum independentem ab illorum intensione, quia si semel assensus, & dissensus etiam in gradibus vel remissis in eodem subiecto recipiantur, in eodem poterunt de potentia absoluta sub quacunque intensione foueri.

P. Suarez tom. 2. Met. disp. 45. sect. 4. num. 25. & tom. 1. in 3. p. disp. 38. sect. 3. PP. Contimbr. lib. 2. de generat. cap. 3. quæst. 8. art. 6. Arriaga disp. 6. sect. 5. asserunt adhuc de potentia absoluta non posse hos actus in eodem subiecto associari, cui sententia ita adhaerit Canus lib. 12. de locis cap. 14. adhuc in actibus inefficacibus, vt compellus sit, non sine audacia dicere animam Christi continuisse interdum gaudium beatificū, vt tristitia locum daret, quam sententiam omnes Theologi & non pauci cum graui censura, reiciunt. Gab. in. 4. dist. 10. quæst. vnicā, art. 3. dub. 3. Palud. in 3. dist. 15. quæst. 2. affirmant posse Deum quoscunque actus contrarios posituros, etiam vitales quantumuis inter se repugnantes in eodem subiecto coniungere: & certe miror doctissimum Patrem Suarium id negasse in his actibus, qui tom. 3. de gratia, lib. 7. cap. 21. asseruit gratiam, & peccatum de potentia Dei absoluta posse simul existeri, in quibus eadem omnino ratio repugnantie, si aliqua esset inter assensum, & dissensum ratione obiectorum, vt postea expendam, deberet excogitari, & itante eadem ratione, quā probat Suarez diuinæ omnipotentie subdi similitatem inter gratiam, & peccatum, planè conuincitur assensum, & dissensum posse à Deo in eodem subiecto componi, vt postea expendam.

§. II.

Fundamenta sententiæ negatiue expenduntur.

5 PRæcipuum argumentum pro parte affirmatiua in his quæ de potentia absoluta procedunt, sumitur ex solutione argumentorum, quæ sunt pro sententiæ negatiue: illa expendo. Arguit Suarez: & assensus, & dissensus respiciunt obiecta contradictoria inter se de potentia absoluta impossibilia: ergo sunt impossibiles adhuc eadem intercedente omnipotentia. Confirmat eandem rationem: iudicium, quo dico *Petrus existit*, ponit existentiam in Petro: iudicium quo dico, *Petrus non existit*, ponit negationem existentie in eodem Petro: sed in Petro non potest esse existentia, & negatio existentie: ergo non potest esse iudicium de existentia, & non existentia eiusdem Petri. Retorqueo argumentum in gratia, & peccato. Per gratiam constituitur homo dignus beatitudine & carenti poenæ æternæ; & carenti beatitudine per peccatum: ergo gratia, & peccatum respiciunt obiecta contradictoria: ergo sicut implicat coexistentia obiectorum, ita implicat dignitates ad talia obiecta videlicet gratia, & peccatum. Secundò si iudicium, quo ego dico, *Petrus existit*, ponit existentiam in Petro; cur non dicam ego dignitatem fruendi beatitudine, & carenti poenæ æternæ ponere in subiecto digno beatitudinem & carentiam poenæ æternæ non enim maior est connexio inter iudicium & obiectum cognitum, quàm inter dignitatem, & obiectum respectu cuius est dignitas. Resp. inter obiecta assensus reperiri immediatam contradictionem, quia sunt esse, & non esse eiusdem rei: hanc verò contradictionem non refundi in actus, quia assensus, & dissensus sunt entitates positivæ, quæ nullam connexionem habent cum obiectis, ac proinde possunt existeri, etiam si obiecta non existant. Ad confirmationem respondeo, actum, quo ego dico *Petrus existit*, non ponere existentiam in Petro realiter, & physicè, sed tantum intentionaliter, hoc est, cognitionem ad existentiam terminatam, & ita de actu, quo dico non existeri respectu negationis existentie: non enim inferitur Petrum existeri ex assensu circa illius existentiam, neque non existeri, ex dissensu, & ita neque per assensum, neque per dissensum quidquam pono physicè in subiecto, sed tantum extrinsecè,

extrinsecè, & intentionaliter, per quod illi non repugnat, quia præcisè ex parte obiecti non maior est repugnantia in terminando assensu orto ab hac potentia, & dissensu ab illa, quàm in terminando assensu, & dissensu ab eadem potentia dimanante.

6 Alio modo arguit Suarez: assensus, & dissensus, ita se habent, ut unus destruat obiectum formale alterius: ergo non possunt simul in eodem subiecto reperiri. Hæc destructio obiecti formalis, si aliquam efficaciam habet, probat tantum non posse aliquem præbere assensum alicui obiecto naturaliter propter motuum formale, quod se habens eodem modo respectu alijs materialibus obiectis, eandem potentiam non mouet ad assensum. Exempli gratia: Proponitur Hæretico mysterium Trinitatis, & mysterium Incarnationis utrumque à Deo reuelatum, & vtriusque reuelatio applicata ab Ecclesia; non credit Hæreticus mysterium Trinitatis, sed potius discedit, dicitque se credere mysterium Incarnationis propter Deum reuelantem. Tunc arguitur ex destructione motui formalis ad probandū hæreticum non credere mysterium Incarnationis fide diuinā propter Deum reuelantem. Hæreticus hic, dum negat mysterium Trinitatis, paripendit auctoritatem Dei reuelantis, & Ecclesie applicantis reuelationem: ergo etiam si mysterium Incarnationis postea credat, non credit propter auctoritatem Dei dicentis, neque Ecclesie applicantis motuum fidei, quia si ad hæc attenderet, & non ad alia, ut mysterium Incarnationis crederet, illis nō moueretur, sicuti eisdem non fuit motus ad mysterium Trinitatis credendum, vel si illis moueretur ad assentiendum mysterio Incarnationis, eodē modo moueretur ad assentiendum Trinitatis mysterio. Hæc est argumentatio, quæ fieri potest ex destructione motui formalis, an verò sit efficax vel nō, modò non definio, quia ad materiam de fide spectat, nihil ad nostrum institutum attinet, habetque non mediocrem difficultatem, quia hæretici negantes mysterium Trinitatis, non sibi persuadent Deum illud reuelasse, est enim notum naturæ lumine verum esse quicquid Deus dicit, neque possent negare obiectum, quod sibi persuaderent esse reuelatum à Deo, quin sentirent Deum esse mendacem, quod longè alienum est ab illorum mentibus; sed dicunt Ecclesiam sistam reuelationem applicare, sibi que persuadent veram reuelationem applicare dum dicunt Deum mysterium Incarnationis reuelasse, quia in hac reuelatione non tantam apprehendunt difficultatem, quantum in reuelatione mysterij Trinitatis, & ideo illam reuelationem credunt propter Ecclesiam applicantem; & non illam etiam ab eadem Ecclesia applicetur: sicuti ego Petro mihi rem aliquam narranti, quæ non difficilè contingere possit, credo propter illius auctoritatem; quod si alia, quæ mihi difficiliora apparent, dicat, illa credere nolo. Hæc dixi ad difficultatem aperiendam, non animo illam definiendi, certum enim est hæreticum negantem mysterium aliquod reuelatum à Deo, postquam reuelatio sufficienter propoſita fuit ab Ecclesia, non posse actu fidei diuinæ supernaturalis respicientis motuum fidei aliud credere mysterium; an verò hoc proueniat ex dicta destructione motui, an ex defectu habitus, vel ex alio capite, à Theologis est discutendum, & definiendum.

7 Ad rem nostram accedens respondeo: assensum, & dissensum circa idem obiectum materiale non sibi inuicem destruere obiectum formale, quia possunt diuersa obiecta formalia respicere; v.g. potest esse assensus fidei humanæ circa aliquod obiectum, & dissensus opinionis probabilis, vel actus scientifici circa idemmet obiectum; vel vterque opinatiuus per diuersa media, non tamen inquiritur, an assensus, & dissensus possint esse circa idem obiectum materiale, & formale simul, sicuti non inquiritur an possint coexistere amor, & odium circa idem obiectum materiale propter eandem rationem formalem; hi enim actus adhuc successiue repugnant, quia amor semper respicit bonitatem obiecti, & odium malitiam illius, neque potest idem motuum adhuc successiue his actibus esse commune. Dices destruere sibi obiectum materiale: sed id ego negatione supradicta in solutione primi argumenti, quia hi actus nihil ponunt in obiecto materiali, neque huius existentia necessaria est ad assensum, vel dissensum respectu potentie quæ falli potest, & quæ enim possibilis est assensus, quo dicam, Petrus existit, siue existat, siue non existat. Addo idem fore dicendum de eodem obiecto materiali siue existenti, siue non existenti, si idemmet obiectum

formale posset successiue assensum & dissensum, amorem, & odium terminare. Quidquid enim obiectum siue materiale, siue formale successiue valet terminare, quatenus est ex se, si ex alio capite non repugnet, simul poterit eodem modo terminare, quod adhuc de terminis vniuersis realibus docui in *Physicis Controversiis*. §. Punct. 2.

Aliud vulgare argumentum pro hac sententia ita fieri solet. Assensus fertur in obiectum, ut verum; dissensus in obiectum, ut falsum: sed nullum obiectum potest esse verum, & falsum: ergo in nullum obiectum potest ferri assensus, & dissensus. Alio modo idem ferè argumentum proponitur. Intellectus necessariò præbet assensum obiecto, quod apparet ut verum; necessariò præbet dissensum obiecto, quod ut falsum apparet: sed obiectum non potest apparere, ut falsum & ut verum: ergo non potest in illud intellectus ferri assensus, & dissensus. Vtrique obiecto multa confundit, multaque falsa supponit, & nihil quod difficultatem ingerat adhuc falsum comminiscitur.

Respondeo: Intellectum non ferri semper in obiectum ut verum, etiam illud ut reduplicat conditionem, quia verum formaliter dicit obiectum esse cognitum, & intellectus non supponit secundum omnes suos actus obiectum cognitum. Quod si concederemus intellectum ferri necessariò in verum sicuti voluntas in bonum, hoc esset intelligendum de obiecto vero non realiter, sed apparenter, & supernaturaliter loquendo nō solum de obiecto quod acta verum apparet, sed quod saltem posset ut tale apparere, sicuti de obiecto voluntatis philosophamur. Secundo, qui asseruerit posse de potentia absoluta in idem obiectum ferri simul assensum & dissensum, facilius dicet posse idem obiectum apparere ut verum, & ut falsum per diuersos actus, etiam si in re non possit esse simul verum, & falsum. Ad aliud, quod adducitur in secunda obiectione, Resp. intellectui non semper fieri propositum ut verum id, in quod fertur actu assensus, neque ut falsum id, in quod fertur per dissensum: sæpè enim nulla præcedenti apprehensione assentitur, vel dissentitur, & ita necessarium non est fuisse obiectum representatum, ut verum, ut feratur in illud actu assensus, sed demus hoc necessarium esse: adhuc naturaliter præcedit sæpè apprehensio quæ obiectum proponitur, ut verum, & alia, quæ proponitur ut falsum, antequam intellectus iudicium affirmatiuum, vel negatiuum de illo præstiterit, ac proinde ex hoc capite non repugnabit adhuc naturaliter coexistentia assensus, & dissensus de aliquo obiecto.

10 Alio modo argumentatur nonnullus: si posset esse simul assensus, & dissensus de aliquo obiecto, posset quæ esse simul fidelis & hæreticus: consequens est falsum: ergo antecedens. Resp. consequens negandum esse adhuc respectu diuersorum obiectorum, non enim potest quis actus supernaturali fidei diuinæ credere mysterium Incarnationis, & esse hæreticum circa mysterium Trinitatis, vel ex destructione motui, de quo dicebam suprà, vel ex alio capite, quod Theologi assignabant. Ex quo melius inferri licebit non posse hominem esse hæreticum, & fidelem circa idem obiectum. Ne tamen sine aliqua doctrinæ utilitate obiectionem adduxerim, respondeo hominē habentem assensum, & dissensum circa idem obiectum, nullum ex his actibus liberè exercere, quia nullus illorū naturaliter potest ab illo produci, vel conservari in præsentia alterius, quia si prius assensum liberè eliceret in instanti A, & Deus in instanti B, illi infunderet dissensum, dissensus hic non illi liberè infunditur, quia quatenus est ex se per assensum est quasi prædeterminatus, ad dissensum non habendum, neque assensus potest liberè ab illo conservari, quia per dissensum etiam à Deo infusus homo determinatur ad assensum non habendum, & quatenus est ex se, et si non liberè, quia dissensus non liberè contingit, iam est determinatus ad non habendum assensum, qui tantum ex voluntate Dei supernaturaliter conservatur. Quod si Deus dissensum infunderet præuisa libertate voluntatis circa existentiam assensus pro illo instanti, & assensu liberè producta à voluntate se determinante, & à Deo concurrente iuxta suam libertatem, assensus ille liber permaneret, etiam si dissensus exigeret illius corruptionem: quia tunc dissensus omnino per accides se haberet, respectu cōseruationis assensus, neque illam redderet miraculosam, sed totum miraculum esset in infusione dissensus, quia supposito assensu pro illo instanti naturaliter liberèque producta, non solum poterat naturaliter esse in illo

illo instanti, sed neque supernaturaliter poterat non esse naturaliter in illo. Idem dico de reliquis instantibus conseruationis, si Deus semper conseruaret alterum actū supposita libera conseruatione alterius; quia nihil, quod subsequitur productionem rei, & quod omnino consequenter ad illam se habet potest illius tollere libertatem. Ex hoc infero non posse adhuc supernaturaliter dari in eadem potentia assensum, & dissensum vtrumque liberè productum, ac proinde non posse hominem esse simul fidelem, & hereticum, quia hæc denominationes, quando sumuntur ab actibus, non ab actibus necessariis, sed tantum à liberis desumuntur.

- 11 Ultimo arguitur: Gratia, & peccatū non possunt esse simul; ergo neque assensus, & dissensum. Probatur consequentia: ideo gratia, & peccatū non possunt esse simul, quia sunt dignitates respicientes obiecta contradictoria, sed eadem est ratio de assensu, & dissensu; ergo. Resp. antecedens disentiendum esse inter Theologos, interim tamen dico duplicem esse sententiam; quandam asserentem peccatū dicere pro formali, vel pro fundamento necessario ad sui formalitatem negationem gratiæ; secundum hanc opinionem concedendum est primum antecedens, & neganda est consequentia, illiūque confirmatio, quia secundum hanc sententiam ideo esse non possunt gratia, & peccatū, quia peccatū, dicit priuationem gratiæ, & implicat esse simul habitus, & priuationem. Alia sententia, Priuationem gratiæ omnino distinguit à formalitate peccati, & à fundamento illius, & asserit, priuationem gratiæ tantum esse effectum secundarium peccati, sicuti priuatio frigoris est effectus secundarius caloris informantis subiectum: secundum hanc sententiam posset philosophari de gratia, & de peccato, sicuti, & de assensu & dissensu, & dici posset coexistere de potentia Dei absoluta, quod affirmat Suarez, qui id negat de assensu, & dissensu, licet forsitan non deficiat disparitatis caput, quia assensus, & dissensum positiuè à Deo conseruantur, & potest Deus non subtrahere conseruationem dissensu, etiam si illius subtraheretur expositio assensus, & e contra, & ita supernaturaliter vtrumque conseruare, peccatū autem cum non dependeat in conseruari à Deo difficilis posse videretur adhuc supernaturaliter cum gratia componi.

§. III.

Explicatā repugnantia inter assensum & dissensum explicatur propria sententia.

- 12 Non poterit hæc difficultas probabili fundamento dissolui, ni radicis examinemus caput, ex quo assensus, & dissensum, amor, & odium circa idem obiectum repugnent, illo enim cognitio iudicium facili facere poterimus, an possit diuinitus dispensari; quod si lateat nihil de illo non temerè dici poterit.
- 13 Repugnantiam oriri ex obiectis non dubito, quidquid enim est in actu, oritur ab obiecto, tanquam à termino extrinsece specificante à priori, vel à posteriori; sed dubium adhuc superest, an hæc repugnantia, ex quoque extrinseco oriatur, in quo formaliter consistat. Communis contrariorum repugnantia in eo sita est, quod vnum per informationem sui exigit, vt Deus subtrahat conseruationem alterius, & ne concurrat ad illius productionem, etiam in præsentia principij productiui exigentis illum primò producere, & perpetuò conseruare, & supposita etiam exigentia, qua contrariū in hoc instanti expulsum in instanti præcedenti habuit, ne in hoc instanti corrumpere, quā resistentiā latius explicui in Generat. Contr. 6. Punct. 2. Alia est actiua resistentia, quæ est inter principia productiua contrariorū formaliter sibi inuicè resistentium. Hanc actiua resistentiam respectu actū vitalium liberorū, qui in eodem subiecto existunt, nullo modo possumus meditari in ordine ad principij vitale, quod est idem indiuisibile respectu assensus, & dissensu, & respectu amoris, & odij; neque respectu aliorum principiorum in plerisque actibus, liberè procedunt à voluntate formaliter, si sint actus pertinentes ad hanc potentiam, vel imperatiuè, & secundario, si ad intellectum pertineant sicuti assensus, & dissensum.
- 14 Neque fat est his actibus concedere repugnantiam formalem, quam in aliis contrariis, v.g. calore, & frigidityte, reperimus, quia si hoc modo tantum opponerentur, ex eo quod assensus exigeret corruptionem dissensu, non ita in

diuisibiliter opponerentur, vt non possent in gradibus remissis adunari, sicuti adunantur frigiditas, & calor, cum ex hoc capite imbecillior sit repugnantia inter hos actus, quam inter calorem, & frigiditatem; calor enim exigit non solum suam conseruationem, contrario oppositum non intendentes; sed etiam præsentia aqua intendente producere frigiditatem, exigit vt Deus, vires aquæ coarceat, ne frigiditatem producat, media qua destruat: amor verò existens in anima non ita ardentem suam exposcit conseruationem, vt exigat Deo non produci odium ab anima illud intendente producere, neque ratione amoris existentis in anima aliquam coactionem patitur anima, ne odium producat, medio quo destruat amor. Deinde aliam oppositionem reperiri inter actus voluntatis existimo perspicuū esse, quia assensus præmissarum necessitatem quoad specificationem ad assensum conclusionis inducit, eo enim ipso, quod ego assentiam præmissis, ex quibus legitime inferitur consequens, etiam si ex diuersione animæ, vel nimia attentione ad alia obiecta non elicitur assensus conclusionis; dissensum tamen non poterit elici. Exempli gratia: habeo ego hos assensus, *omnis homo est animal, Petrus est homo* etiam non eliciam, *ergo Petrus est animal*, tamen cum his præmissis non potero iudicare Petrum non esse animal: ergo hic assensus, *Petrus non est animal*, habet oppositionem cum his duobus; *omnis homo est animal, Petrus est homo*, sumptis indiuisibiliter, quam non habet cum aliquo eorum seorsim sumpto, cum quo, alio secluso, poterit componi: ergo incompossibilitas actuum nascitur ex alio capite distincto à formali incompossibilitate, quam habeant per modum contrarietatis assensus, & dissensum in eodem subiecto, & de eodem obiecto, cum plures actus, etiam de diuersis obiectis saltem inadquatis, & longè diuerso modo significatis incompossibilitatem habeant.

Deinde intellectus non potest per eum indiuisibilem actum assentiri, & dissentiri: sed repugnantia huius actus non potest oriri ex incompossibilitate formali, quia secluso omni alio actu, hic repugnat saltem naturaliter, & resistentia formalis essentialiter dicit duplicem contrariam formam: ergo ex alio capite oritur repugnantia, propter quam intellectus non valeat simul assentire, & dissentire eidem obiecto; repugnantia enim formalis non potest inueniri in simplici actu, qui esset simul assensus, & dissensum, neque talis actus ex illa repugnantia impossibilis est saltem naturaliter, sed ex alio capite.

Sensio incompossibilitatem ex vi cuius assensus, & dissensum de eodem obiecto, sicuti alij actus intellectus, non possunt esse simul adhuc in gradibus remissis prouenire ex modo, quo obiectum repræsentatur intellectui per vnum actum, ex vi cuius anima impotens sit tendere in illud per actum oppositum, non per puram actuum incompossibilitatem, sed quia per actum assensus determinatur, & adducitur potentia, vt non possit, neque à se neque à voluntate determinari ad dissensum, quia obiectum ita proponitur, vt nullam rationem habeat mouendi ad dissensum, & in hoc sensu verum erit, quod docet Suarez vnum actum destruere motum alterius contrarij, hoc est, ita proponere obiectum materiale illius, vt sub nulla ratione valeat intellectus neque per se ipsum, neque per actum voluntatis determinari ad actum oppositum. Pro explicatione huius conclusionis noto; quod etsi verum sit intellectum actu assensus non necessario ferri in obiectum verum, neque actu dissensu in falsum præsuppositiue, hoc est, in obiectum quod supponatur verum, vel falsum, ante ipsum actum: Nihilominus certum esse intellectum non posse ferri actu dissensu in obiectum, quod ex prima apprehensione terminorum verum apparet, siue ex se, sicuti hoc obiectum; *quodlibet est, vel non est*: siue ex suppositione, sicuti hoc obiectum, *omne quod est in hoc instanti, ex suppositione, quod sit, non potest non esse*; quæ obiecta necessariò prædeterminant intellectum, ne dissentiat ab illis, vt nullus, qui illa semel valeat percipere, possit ab illis dissentire, etiam si contingere possit aliquando ex nimia animi attentione illis assensum non præbere, quia illorum dissensum non solum opponitur cum assensu ipsorum, sed cum prima apprehensione terminorum.

Ex his infero, posito assensu circa existentiam Petri, intellectum manere determinatū ex huius assensu vi ad non eliciendū dissensum de eodem obiecto, quia posito assensu intellectui repræsentatur existentia Petri, tanquam actu existens; ergo repræsentatur tanquam quid euidenter

falsum Petrum non existere, tanquam quid impossibile, ex suppositione facta, Petrum non existere, quia ex suppositione, quod Petrus existat, implicat ipsum non existere, & implicat verum esse hoc iudicium, *Petrus non existit*: & ex ipsa terminorum apprehensione constat, falsum esse, Petrum non existere supposita existentia Petri: ergo postquam intellectus per assensum supponit Petrum existere, eo ipso, quod illi proponatur negatio existentie, proponitur tanquam euidenter falsa: ergo non poterit iudicare, dari talem negationem, seu Petrum non existere, quod est idem. Confirmatur: ex existentia Petri euidenter infertur non esse negationem illius, seu falsum esse ipsum Petrum non esse; ergo si semel intellectus iudicat Petrum existere, si illi obiciatur negatio ipsius existentie, inferet ex iudicio tendente in existentiam Petri falsum esse Petrum non existere, vel saltem manebit determinatus, quoad specificationem, ne iudicet Petrum non existere: ergo posito hoc iudicio: *Petrus existit*, non poterit habere hoc iudicium, *Petrus non existit*, & pari ratione, posito hoc iudicio, *Petrus non existit*, saltem intellectus erit determinatus ne iudicet Petrum existere, quod falsum esse euidenter infertur ex priori iudicio, & cuius obiectum, ex suppositione facta per iudicium negatiuum de non existentia Petri, implicat.

18 Eadem ratione censeo implicare actus voluntatis ex natura sua efficaces, quibus voluntas dicat, *volo deambulare*, & *nolo deambulare*, quia voluntas non potest ferri efficaciter in obiectum, quod apprehendit ut impossibile; hoc autem quod est deambulare simul, & non deambulare est impossibile: ergo voluntas non potest efficaciter illud appetere. Dices, neutrum horum obiectorum ex se esse impossibile, sed tantum similitudinem utriusque: voluntatem autem, etiam si efficaciter intendat ambulare in instanti A, & non ambulare in eodem instanti, non appetere similitudinem obiectorum formaliter, sed vnum obiectum per vnum actum, & obiectum aliud per alterum actum. Contra: Simultas formalis nihil aliud est, quam existentia deambulationis in instanti A, & negatio ipsius existentie in eodem instanti, sed hoc totum amaret voluntas per illos duos actus: ergo amaret similitudinem obiectorum: ergo amaret obiecta impossibilia simul existentia, quae manifestam inuolunt repugnantiam inter se utrumque simul ratione coexistentia; & quodlibet ex suppositione alterius, quia supposita deambulatione implicat negatio eiusdem pro eodem instanti, & supposita negatione, implicat deambulationem immediate & per se.

19 Ex his infero, repugnantiam inter actum, quo voluntas dicit, *volo ambulare*, & inter actum, quo dicat *nolo ambulare*, non solum consistere in actibus secundum se, neque tantum dicere ipsos actus per suasmet entitates precise repugnantes, sed connotare, seu dicere tanquam rationem formaliter spectantem ad impossibilitatem, actum iudicii, quo voluntati proponitur repugnantia obiectorum, & impossibilitas obiecti vnius actus ex suppositione obiecti alterius actus. Hoc iudicium maxime spectare ad impossibilitatem actuum patet in aliis pluribus actibus circa obiecta impossibilia, saepe enim quis efficaciter intendit obiecta inter se repugnantia, quia illorum impossibilitatem nondum cognouerit, & hac cognita statim cadit ab altera intentione, quin possit illo superueniente iudicio in utraque persistere.

20 Infero similiter posse voluntatem amare obiecta, quantumuis impossibilia, dummodo ab intellectu non proponantur ut impossibilia inter se, neque ut repugnans illorum aliquod, quia tota repugnantia, ut dictum est, oritur ex repugnantia obiectorum. Vnde si fieri posset, ut intellectus apprehenderet haec obiecta, ambulare, & non ambulare, non apprehensa illorum impossibilitate, posset voluntas simul intendere efficaciter quatenus est ex se ambulare, & non ambulare, saltem per actus voluntatis remissos, quia impossibilitas, per quam hi actus indiuisibiliter opponitur, consistit in impossibilitate obiectorum voluntati proposita. Idem dico de actibus assensus, & dissensus in intellectu, quia si idem obiectum possit apprehendi ut existens, & non existens absque euidenti implicatione, vel si posset obiectum iudicari existens, quin negatio existentie euidenter appareret ut falsa, posset intellectus assentire, & dissentire eidem obiecto, sicuti assentitur saepe aliis obiectis in se contradictionem habentibus, quando illorum contradictio laet intellectum; quia

tamen nunquam possunt homini sane mentis haec obiecta sine contradictione apparere, nullus potest assensum, & dissensum habere de aliquo obiecto, & simul ipsius existentiam & negationem ipsius intendere. Quod si contingeret, saltem apprehensa falsitate, simul assentire, & dissentire eidem obiecto, simulque habitum, & illius negationem efficaciter intendere. Neque ad hoc debent dissentire illi, qui affirmant adhuc de potentia Dei absoluta non posse in eodem subiecto assensum, & dissensum repetiri, illorum enim fundamentum est alterum obiectum necessario apprehendi tanquam falsum, cui non potest assensus praestari: ergo si ita non apprehenderetur, deficeret fundamentum repugnantiae inter hos actus: ergo possent eandem potentiam efficere.

Explicata fundamento repugnantiae, pronuncio, de potentia absoluta recte posse componi assensum, & dissensum, amorem & odium in eodem subiecto. Utrumque probante solutione argumentorum, quas supra praestiti, quae in his questionibus, in quibus de potentia Dei absoluta differatur, sunt semper sententiae affirmantis potissimum fundamentum.

Secundo positum sententiam probo. Ratio, propter quam repugnat assensus posito dissensui, est, quia ex vi assensus proponitur tanquam falsum obiectum dissensus, quae propositio impedit ne intellectus se determinet ad assensum praestandum, non ex defectu virtutis ex parte intellectus, neque ex defectu obiecti: sed etiam intellectus non se determinet ad praestandum assensum, neque determinetur a voluntate, poterit ne illud determinare, ut necessarii praestet assensum, non erit impedimentum respectu dei, determinantis intellectum, quia id, quod impedit intellectum, ne ipse se determinet per obiectum, neque voluntas possit illud determinare, non impedit ne Deus intellectum determinet ad tale assensum, quia determinatione posita a Deo supra existentiam, vel etiam contra existentiam intellectus, & obiecti propositi recte poterit esse dissensus, qui tantum repugnabat ex eo, quod nulla causa secunda poterat determinare productionem illius. Dixi saepe intellectum non posse se determinare, & explanationis gratia nuper addidi non posse determinare se per obiectum, quia determinatio nunquam provenit ab intellectu, cum non sit potentia libera, neque independens ab aliis principiis ad operandum, sed ab obiecti propositione, & speciebus quae saepe intellectum determinat ad assensum independentem a voluntate, & tunc dico intellectum se determinare, quia non determinatur per aliam potentiam imperantem, sed per principia ad ipsum intellectum.

Eandem rationem confirmo, & explicio in actibus voluntatis; ideo non possum intendere simul ambulare & non ambulare, quia obiecta proponuntur ut impossibilia, & voluntas in obiectum apprehensum ut impossibile ferri nequit, etiam si illud ut possibile apprehensum sponte feratur: ergo tota ratio, propter quam voluntas non potest ferri efficaciter in deambulationem, & negationem eiusdem est ex defectu propositionis attrahentis ad hos actus, & ex propositione retrahente: sed defectus propositionis potest suppleri a Deo, ut probabo Contr. 8. Punct. 7. ubi dicam voluntatem posse ferri in incognitum, & Deus potest voluntatem praedeterminare ad actum, a quo retrahit propositio: ergo potest suppleri a Deo defectus conditionis, & fieri contra impedimentum, quod habet voluntas, ne simul intendat ambulare, & non ambulare: ergo poterit fieri a Deo, ut simul intendat actibus ex se efficacibus obiecta contradictoria, seu idem obiectum actu amoris, & odij.

Totam sententiam confirmo ratione, quae videtur P. Suarez supra ad probandum posse esse simul gratiam, & peccatum in eodem subiecto. Deus potest modo concurrere medio intellectu ad actum assensus, independentem ab aliis causis determinantibus productionem assensus, ut farentur omnes; sed posito hoc concursu nihil est, quod obliget Deum ad subtrahendum concursum, quo conservabat dissensum a me elicitum: ergo poterit utrumque conservare. Probo minores, quantumuis assensus determinatus a Deo, siue per impossibilitatem cum dissensu, siue per modum, quo proponitur ut falsum obiectum dissensus, exigat subtractionem concursus, quo Deus dissensum conservabat, poterit

poterit Deus illi violentiam inferre, quia exigentia creaturæ non ita determinat Creatorem, vt non possit contra illam operari: ergo poterit conseruare vtriusque concursu etiam dependenter ab intellectu, quia conseruatio vtriusque non repugnat ex defectu virtutis intellectus, sed ex impossibilitate actuum inter se, vel ex modo, quo proponitur ex vi vnus actus alterius obiectum vt omnino falsum: idem dico de actu amoris, & odij.

25 Hanc sententiam docent nonnulli ex D. Thoma quæst. 26. de Veritate, art. 10. teste Suarior supra, vbi illos impugnât asserentes, posse poni in eodem subiecto duas qualitates contrarias, etiam vitales, si vna per se, & alia per accidens, hoc est, determinata à causa extrinseca, inquit, quorum sententia, ab ea quam tradidi, in nullo discrepat, quia non ego assero, posse animam habere amorem, & odium, assensum & dissensum determinatum à se, sed à Deo, qui concurret independentè à determinatione animæ, saltè ad alterum contrariorum actum producendum. Constat etiam hos Doctores tradidisse sententiam, quam contra illos adducit Suarez dict. sect. 3.

26 Obiicies: Assensus & disensus, amor & odium, siue ab hac, siue ab illa causâ procedant, habent eandem impossibilitatem: ergo si non possunt coniungi procedentes ab anima se determinante ad tales actus, ergo neque poterunt coniungi determinata alterius, vel vtriusque existentia à Deo, vel ab alia extrinseca causâ. n. esp. impossibilitatem, quam habet actus per suafinet entitates intrinsecas, semper fore eandem à quacunque causâ determinante producantur; impossibilitatem verò, quam habent ex defectu causæ non potentis se ad vtrumque determinare non reperiri respectu omnium causarum, quia etiam intellectus non valeat per se ipsum, neque per alia principia creata se determinare ad assensum, & dissensum simul producendum, potest Deus hanc determinationem intellectui præbere per concursum prælitum à Deo independentè ab exigentia intellectus, & cuiuscumque principij creati talem concursum exigentis.

PUNCTUM IV.

Quid sit intuitiva cognitio, & quomodo ab abstractiua differat?

1 Bene notat P. Vasquez 1. part. dist. 134. quæstionem hanc multum habere de nomine, & cerè aliquos legi, apud quos tota de nomine reperitur, quia ob diuersorum nominum confusionem & diuersarum acceptionum eiusdem nominis, quid de re in hac quæstione non appareat. Ego qua potero distinctione, & claritate rem componam.

§. I.

Aliorum placita impugnata.

2 Sentiunt multi intuitiuam cognitionem dici illam, quæ attingit omnes formalitates obiecti nulla præfusione facta inter ea, quæ realiter sunt idem. Ita P. Vasquez 1. part. dist. 50. n. 12. & disput. 48. n. 2. Suar. lib. 2. de attributis, cap. 22. Huic opinioni aduersantur omnes, qui asserunt cognitionem intuitiuam, & per proprias species posse ferri in vnam formalitatem obiecti, & non in aliam; in quorum numero sunt P. Granados tract. 5. de visione, & 7. sect. 1. P. Alarcon 2. tract. de visione, c. 2. & apud hos Paludanus, Antonianus, Sotus, Bassolis, & Ouandus.

3 Desumunt Doctores relati pro prima sententia, nomen intuitionis, quatenus significans quid oppositum præfioni; & cognitionem intuitiuam appellant illam, quæ præfusiua non est. In hac acceptione intuitiuæ cognitionis quis negare potest visionem intuitiuam futuram tantum illam, quæ non præcinderet inter ipsa prædicata? Verumtamen visionem intuitiuam non esse assumentes secundum hanc significationem, neque in hoc sensu posse desumi sic proba. Cognitio intuitiua secundum hanc sententiam vel est illa, quæ non præcindit neq; ex parte actus, neq; ex parte obiecti, vel quæ ex parte obiecti tantum non præcindit: & similiter cognitio abstractiua intuitiuæ opposita vel est illa, quæ præcindit ex parte obiecti, vel quæ tantum præcindit ex parte actus. Si dicatur cognitio intuitiuam esse illam, quæ non præcindit ex parte obiecti, etiam ex parte actus præcindat, cognitiones omnes erunt intuitiuæ, quia nulla potest esse cognitio termina-

Francisc. de Quiedo Philosoph. Tom. II.

ta ad obiectum reale præfusiua ex parte obiecti, vt latè probabo in Metaphysic. Si dicatur cognitionem intuitiuam esse illam, quæ neque ex parte actus, neque ex parte obiecti præcindit, tantum comprehensiua cognitio erit intuitiua cognitio coloris, quæ capio ex sensationibus circa ipsum colorem actu existentem, & mittentem proprias species suam: neque ipsa externa oculorum sensatio esset intuitiua, quia licet ex parte obiecti præfusiua non esset, & totum colorè attingunt visio externa, & interna cognitio; non tamè ita expressè, vt valeat discernere circa formalitatem relationis transcendentalis, neque distinguere colorem illum habentem relationem transcendentalem ab alio qui illam non habet, siue reali, siue ficti: imò ipsa visio intuitiua Dei, quæ gaudent Beati, etiam totum Deum attingat formaliter, vt est in se realiter, & ex parte obiecti attingat quicquid est in obiecto, non tamè ex vi illius ita clarè cognoscitur obiectum, vt pateat beato ex vi visionis beatificæ formalitates decretorum liberorum, quæ sunt in Deo, neque ex vi visionis beatificæ valet beatus distinguere inter Deum habentem ab æterno, decretum producendi Petri, & inter ipsum Deum quatenus potuit esse ab æterno idè secundum entitatem sine decreto ad quod liberè se ab æterno de facto determinauit.

4 Dicunt alij cognitionem intuitiuam esse illam, quæ fertur in rem ipsam vt actu existentem, & vt præsentè non solum obiectiue, sed etiam physice, ita vt si de facto non existat obiectum, eo modo, quo repræsentatur per illam, visio illa, seu cognitio intuitiua non sit, sed abstractiua. Ita Suar. 1. 3. de anima c. 12. n. 5. vbi asserit sensationem factam per speciem propriam obiecti miraculosè productam à Deo, quæ sentitur, vt existens, & præfens obiectum, esse abstractiuam, quia est obiecti actu non existentis. Ex hac sententia rectè explicari nequit ratio intrinseca visionis intuitiuæ, & abstractiuæ, quia eadem intrinseca visio potest esse abstractiua, & intuitiua in hac acceptione: visio enim, quæ modò habeo circa colorem actu existentem & approximatam meæ potentia, potest conseruari à Deo supernaturaliter sine præfentia obiecti: ergo ratio intuitionis, quam tribuimus visioni æternæ, & negamus cognitioni quam ego habeo circa existentiam Angeli, non consistit in ipsa obiecti præfentia, aliquid enim habent hi actus independentè à præfentia obiecti, per quod visio externa obiecti, & cognitio orta ex hac dicantur intuitiuæ, quod non habet cognitio Angeli, quæ abstractiua dicitur, adhuc præfente obiecto: de hoc inquiri quidnam sit, ad quod omnino impertinens est præfentia obiecti, quod est intrinsecum actui vitali, in qua ratio intuitionis consistit.

5 Secundò proba præfentiam obiecti, neque adhuc inadæquatè pertinere ad rationem intuitionis. Visio, quam Deus sine specie impressa intermedia immediatam per se ipsum produceret, dependeret à potentia, & à Deo tanquam à principio adæquato, esset intuitiua si obiectum ita existeret, sicuti repræsentatur per visionem, sed eodem omnino modo esset intuitiua absente obiecto: ergo præfentia obiecti nullo modo pertinet adhuc inadæquatè, imò neque exigentia talis præfentia ad rationem intuitiuæ. Probo minorem: existentia illius obiecti omnino per accidens se habet respectu talis visionis, quæ nullo modo illam exigit, vt probaui Controuersia 4. Puncto quarto: ergo non potest illa visio constitui intuitiua per exigentiam præfentia obiecti, quam non habet, neque per ipsam præfentiam obiecti, quæ impertinenter se habet respectu illius, licet enim fieri posset intuitionem actualem importare aliquid extrinsecum cognitioni, intolerabile est dici rationem intuitionis ita extrinsecam, & contingentem esse operationi, quæ intuitiua denominatur, vt saltem in actu primo talis operatio non exigit id, per quod constituitur actu intuitiua.

6 Dicunt multi visionem intuitiuam esse illam, quæ obiectum attingit per species proprias illius, & abstractiuam, quæ producitur per species alienas, & non proprias illius obiecti repræsentati. Ita tenent P. Granados, & Alarc. relati supra, & alij apud istos; & est communis opinio inter Doctores. Propius ad veritatem accedit hæc opinio, illa tamen non omnino apprehendit. Admitto cognitionem omnem per species proprias esse intuitiuam, & do cognitionem factam per species alienas esse abstractiuam, & proba non rectè, neque adæquatè explicari rationem intuitionis, & abstractionis per ordinem ad proprias & alienas obiecti species. Omnis cognitio adæquatè diuiditur in

abstractiua, & intuitiua: sed non omnis cognitio fit per species proprias, vel alienas: ergo per hanc rationem non recte, & adequatè explicatur ratio cognitionis intuitiue, & abstractiue. Probo minorem: Deus potest mecum concurrere ad visionem coloris actu existentis, tunc visio ita producta non produceretur per species proprias, neque alienas, neque per obiectum immediatè ad illam concurrere: ergo si adequatè definita esset operatio intuitiua, & abstractiua per ordinem ad species proprias, seu obiectum immediatè concurrere, & ad species alienas, visio illa, neque esset intuitiua, neque abstractiua, quod dici nequit. Idem dico de aliis cognitionibus intellectuales, quas Deus potest producere sine speciebus propriis neque alienis obiecto immediatè non concurrere ad tales visiones. Rursus cognitio, quæ Deus cognoscit obiecta creata non exercetur per species proprias, neque per alienas obiectorum, neque cognitio, quæ Deus seipsum cognoscit exercetur per speciem, adhuc formaliter distinctam, & realiter identificatam cum Deo secundum opinionem multorum Theologorum, qui adhuc rationem formalem speciei impressæ identificatam realiter cum ipso Deo admittere nolunt, & tamen omnis cognitio, quam Deus habet, est cognitio intuitiua: ergo ratio cognitionis intuitiue non consistit in ordine ad species proprias obiecti.

7 Dices cognitionem diuinam dici intuitiuam ex eo præcisè quod non exerceatur per species alienas in quo consistit ratio intuitionis, quæ opponitur operationi abstractiue scilicet factæ per species alienas. Fugis vim argumenti, sed relinquis sententiam, quam defendendam assumpseras, videlicet rationem intuitionis consistere in respectu ad species proprias, & restat tibi soluenda alia obiectio, quam primò adduxi de cognitione illa, quam Deus produceret sine speciebus, quæ ex hac solutione vires resumit. Cognitio intuitiua est illa, quæ non fit per species alienas: ergo Deus non potest concurrere immediatè ad cognitionem aliquam, quæ non fit intuitiua: sed omnis cognitio, ad quam ipse concurrat immediatè cum potentia, erit intuitiua: ergo si Deus immediatè concurreret ad producendum actum fidei respicientem tanquam motuum reuelationem diuinam absque ulla specie impressa, à qua dependet illa cognitio, actus fidei nullum habens motuum præter reuelationem Dei esset intuitiua cognitio. Conditionalis habet imbibitam illationem legitimam: adimpletio conditionis non pugnat, nullum enim probabile fundamentum inuenies ad asserendum Deum non posse immediatè concurrere ad actum intellectus innitentem tanquam motiuo adequato reuelationi diuinæ. Consequens illatum absurdum est, & ni fallor contra D. Paulum 1. Corinth. 13. ubi cognitionem fidei enigmatica vocat, & intuitiua opponit: *Idem nunc per speculum in enigmate, &c.* quod testimonium pro mea sententia postea expendam.

8 Posset respondere Deum immediatè concurrentem ad operationem vitalem sine specie concurrere aliquando supplendo vices speciei propriæ, vel obiecti immediatè concurrentis, & tunc operationem ab illo simul cum potentia immediatè productam, esse intuitiuam; aliquando verò concurrere supplendo vices specierum alienarum, & tunc operationem abire in abstractiuam. Hæc solutio parum præstat in mea sententia, quæ operationem vitalem in termino identificato cum actione constituit, iuxta quæ operatio quæ procedit à Deo sine speciebus, neque ab speciebus propriis, neque alienis procedere potest: ergo non dicitur Deus supplere vices specierum propriarum, vel alienarum, ex eo, quod producat effectum illum, quem ipsæ species sint producturæ: ergo ex hoc capite non poterit Deus dici supplere potius vices harum specierum, quam illarum. Restat ut dicatur Deus supplere vices harum specierum, v.g. propriarum, quia producit speciem expressam, etsi distinctam ab illa, quam produceret propriæ speciei, tendentè tamen in obiectum eodem modo, ac tenderet alia operatio producta à propriis speciebus. Quod si speciem expressam produceret tendentem eodem modo in obiectum, in quod tenderet alia speciebus alienis producta, diceretur supplere vices specierum alienarum. Admitto totum, quod dat solutio, & nondum meo argumento solutionem habeo. Species expressa, siue producta à Deo tantum, siue ab speciebus propriis, potest dici intuitiua, quia respicit obiectum certo quodam modo comuni speciei expresse productæ ab impressis propriis speciebus, & alteri specie expresse, in cuius productione dicatur Deus supplere mu-

nus speciei impressæ, quem modum non haberet species expressa producta ab alienis speciebus: ergo ratio intuitionis, & abstractionis consistit formaliter in hoc speciei modo respiciendi obiecta; de hoc inquiri, quid sit? quid habeat peculiare modum respiciendi obiectum intuitiue, quod non habeat abstractiua operatio? & quid habeat modus respiciendi abstractiue, quod non habeat intuitiua operatio? Locum habet hæc obiectio, etiam si tota operatio in qualitate consisteret, quia licet tunc eadem, quæ producit ab speciebus, posset produci à Deo, ratio formalis intellectionis non esset ipsa productio, sed terminus, in quo consisteret ratio intellectionis, sensationis, vel internæ, quia hæc esset extrinseca, & distincta à termino: ergo tota ratio intuitionis, vel abstractionis in ipsa qualitate consisteret, & non in modo, quo qualitas illa producta constituitur operatio intuitiua, vel abstractiua obiecti.

S. II.

Propria Sententia.

D Oñtè aduertunt nostri Lusitani lib. 2. de anima. c. 6. q. 3. art. 1. appellationem hanc intuitiue visionis non fuisse notam antiquis Philosophis, sed tantum inter Doctores Scholasticos inueniri, ex quibus Greg. in 1. dist. q. 2. art. 1. & Scotus quodlib. 6. art. 1. volunt nomen hoc delirum fuisse ex testimonio Pauli 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, &c.* ubi visionem beatificam, quam omnes Doctores, & Ecclesiæ Patres intuitiuam vocant, explicat per hoc quod est esse facie ad faciem, & reliquis operationes non intuitiue distinguit per rationem ænigmati, illasque ænigmatas appellat. Ex quo testimonio potissimum debet sumi fundamentum ad distinguendam operationem intuitiuam à non intuitiua. Visionem hanc eleganter describunt idem Combricensis ex Scoto, Ferrar. & Dur. ibi relatis, his verbis: *Notitia rei presentis est, id est cognitio, quanta rem ænigmatas per eam teneatur presentia obiecti in se, & ex vi ipsius cognitionis, non verò quæ aliunde comprobetur.* Asseruntque communi consensu notasse Anselmum, Hugonem, Magistr. D. Thom. Greg. Palud. aliosque Doctores visionem intuitiuam oportere esse immediatam, ita videlicet, ut res non percipitur in alio cognito, sicuti cognoscitur Cæsar in sua statua, etenim per visionem intuitiuam concipitur res in se, quod esse non potest, cum res in alio prius visio cognoscitur.

Ex his, quæ Doctores tradunt de visione intuitiua possemus illam definire: *cognitio obiecti in se*: & abstractiuam: *cognitio obiecti in alio*. Verumtamen hæc definitio, si maiorem lucem non accipiat, adhuc mihi difficilis est, quia in communi sententia Theologorum Deus se ipsum cognoscit non solum in se sed etiam in creaturis tanquam in obiecto prius cognito, & tamen durum est asserere cognitionem, quæ Deus se ipsum in creaturis cognoscit non esse intuitiuam, sed abstractiuam: insuper contra descriptionem, quam Paulus insinuat de visione abstractiua, quam appellat ænigmatas, visionem enim, quæ intuitiua non est, dicit esse per ænigma, quis autem dicit Deum se ipsum in creaturis per ænigma cognoscere? Deinde Deus æquè clarè, æquè perfectè cognoscit se ipsum, quando se ipsum in creatura cognoscit, ac quando se ipsum immediatè cognoscit: ergo æquè intuitiue se cognoscit per utramque cognitionem; quando enim quasi excitatus, & determinatus à cognitione creaturæ, ad se ipsum cognoscendū se conuertit, non mendicat specificationem, neque determinationem cognitionis à creatura determinante, sed à se ipso, & ab obiecto increato, quod respicit infinitam perfectionem non solum quæ Deus seipsum, sed etiam creaturam cognoscit; neque minus facie ad faciem se intuetur determinatus à creatura, quam cum à se ipso determinatur, prius se, quam creaturam aliâ visione directâ præcognouerit; quæ ratio mihi magni ponderis est, ne dicam visionem, quæ Deus se ipsum in creatura tanquam in obiecto determinate cognoscit, non esse cognitionem intuitiuam. Idem dico de cognitione, quæ Deus creaturas in se ipso, vel in suo decreto libero cognoscit, quæ æquè penetratiua est creaturarum cum illa, quæ Deus easdem creaturas primariò, & in se ipsis cognouit. Addo non posse dici visionem, quæ Beati in obiecto vident creaturas possibiles, vel existentes, si verum est illas ex vi visionis videre, propriè non esse intuitiuam, quia nulla alia visione directâ vilis intellectus creatus perfectiùs, & penetrabilius potest

potest videre creaturas, quas videt in Verbo, quam illas potest videre ex vi visionis diuinæ, si hæc ducit in cognitionem ipsarum.

11 **S**eo sententia Doctorum, quos retuli ex Conimbric. & cum illis assero visionem intuitiuam esse, quæ obiectum videtur in se, & abstractiuam, quæ videtur in alio: illud autem in alio non de quocumque obiecto prius cognito, sed de obiecto, inlar cuius aliud cognoscatur, & iuxta hanc explicationem visionem intuitiuam definio: *Visio, quæ non attingitur obiectum inlar aliis obiecti à se distincti, visio abstractiua, seu non intuitiua est, quæ obiectum inlar alterius à se distincti cognoscitur.* Has definitiones existimo esse iuxta mentem Doctorum, quos supra retuli, & iuxta testimonium Pauli adductum supra accommoda distributione quadrant: omnibus operationibus, quas omnes Doctores intuitiuas, & abstractiuas appellant, vt ex illarum explicatione constabit. Quid sit rem inlar aliis cognosci, ex ipsa apprehensione terminorum existimo esse perspicuum: illud enim dicitur inlar aliis rei cognosci, quod apprehenditur, quasi illi simile, vel indurum accidentibus illius, inlar cuius cognosci dicitur. Hunc modum cognoscendi vnum in alio repugnare visioni intuitiue colligo ex descriptionibus, quas retuli supra de visione intuitiua, hoc enim existimo importare illa verba adducta in definitione, quam ex Scoto & aliis adducunt Conimbricæ: ita vt per eam teneatur potentia obiecti in se, & ex vi ipsius cognitionis, non verò quæ aliud de comprehetur. Idem volunt alia verba, in quibus conditiones ex Anselmo, & aliis; illa præcipue, quibus dicitur per visionem intuitiuam non debere rem cognosci in alio, sicuti cognoscitur Cæsar in sua statua. Intellige illud simile, per quod explicatur cognitio non debere esse in alio, scilicet, sicuti est cognitio Cæsar in sua statua, quæ similis cognoscitur cum Cæsare, & apprehenditur quasi alius Cæsar, vel potius vt idem repetitur; ex quo capite quæ de facto in hac vita cognoscimus sine specie propria illorum non intuitiue, sed abstractiue, cognoscuntur à nobis, quia illa inlar aliarum rerum semper cognoscimus, Angelum videlicet inlar iuuenis, personam primam Trinitatis inlar senis, & sic de substantia quacunque, & de accidentibus, quæ sensu non percipiuntur siue materialibus, siue spiritualibus.

12 **O**perationes omnes, quas intuitiuas vocamus, attingere obiecta modo à me explicato facile, si per illarum singulas discurrem, comprobabo. In primis sensationes omnes non percipiunt obiecta inlar aliarum rerum, sed omnia vt sunt in se; visio enim non ad inlar rei aliis colorem, neque lucem attingit, & sic de aliis sensationibus. Cognitiones intuitiue obiectorum, quæ sensibus percipiuntur non attingere obiecta inlar aliarum rerum, certum est, intellectus enim cognoscit alia obiecta inlar accidentium, quæ sensibus fuerunt percepta: non verò accidentia inlar aliarum rerum, quas sensationibus anima non attingit. Visionem Dei, quæ est prima inter omnes intuitiuas, Deum attingere in se, & non inlar aliis rei, dixit Apostolus, *tunc facie ad faciem*, id est, nullo alio interposito obiecto, vel inlar cuius Deus cognoscatur: sed cognoscatur sicuti cognitus sum, id est, sicuti Deus me ipsum cognoscit, non per imagines & similitudines aliarum rerum, sic ego illum cognoscam in se ipso, eo modo, quo duo homines se inuentur cum positi in proportionata distantia, mutuo vnius facies, alterius faciei omnino patet, & vtriusque vultus mutuo alterius sese offert obtutui.

13 **R**eliquæ operationes, quas abstractiuas appellauit Scholæ, obiectum attingere in alio, hoc est, inlar aliis modo à me explicato facile, si singulas percurramus, notum erit. Cognitio, quæ Deum actu fidei, vel scientiæ in hac vita cognoscimus, vel apprehensio quælibet Angeli, cuiusvis substantiæ, vel entitatis, cuius in hac vita speciem non habemus, semper suum obiectum inlar aliis apprehendit: Sic primam personam Trinitatis ad inlar senis, secundam iuuenis, tertiam columbæ, Angelum adolescentis, tenebras nigredinis apprehendimus, & sic de omnibus aliis obiectis, quæ abstractiue cognoscimus.

§. III.

Nonnulla corollaria.

14 **P**rimò infero ex his, visionem intuitiuam non opponi cum præcisua, sed cum abstractiua, quod si hoc complexum, abstractiua cognitio, non raro, idem sonet, quod

Franc. ac Cuiuslibet bilogoph. Tom. II.

præcisua; in hac significatione non opponitur cum intuitiua, sed in alia, iuxta quam significat operationem tendentem in obiectum, non in se, sed in alio, seu inlar aliis. Ratio est, quia, vt dicebam supra, intuitiua cognitio ex parte actus præcindere potest, & ex parte obiecti neque intuitiua, neque abstractiua potest esse præcisua.

15 **S**ecundò infero, rectè componi in eadem cognitione rationem intuitionis, & obiectum attingere in alio tanquam in obiecto prius cognito, modò obiectum secundariò cognitum non inlar primarij cognitione apprehendatur. Hac ratione dixi Deum se in creaturis intuitiue cognoscere, & beatos intuitiue attingere obiecta, quæ in Verbo percipiunt, quia Deus cum se in creaturis cognoscit, non se inlar creaturæ apprehendit neque creatura dicit Deum in cognitionem sui tanquam imago, aut obiectum simile, sed tanquam terminus relationis.

16 **T**ertio infero, omnia obiecta, quorum proprias species non habemus, abstractiue à nobis cognosci, quod patet inductione supra facta.

17 **Q**uartò infero, omnia obiecta sensata per sensus externos & internos, intuitiue, quorum omnium proprias species habemus, intuitiue à nobis cognosci. Patet etiam hoc corollarium ex supra dictis.

18 **Q**uintò infero, obiecta non sensata per sensus externos, etiam si per propriam speciem cognoscantur, abstractiue & non intuitiue in hac vita cognosci. Probat hoc assertum cognitio reflexa quæ cognoscimus cognitionem aliâ, & cognitio, quæ actus nostræ voluntatis deprehendimus, quos cognoscimus per proprias species, & nihilominus inlar aliarum rerum apprehenduntur, nò enim valemus actus internos, nisi ad inlar obiectorum, quæ sèu percipimus apprehendere. Ratio potest sumi à priori ex imperfectione specierum, quæ imperfectiores producuntur, quando species aliæ eiusdem obiecti per sensus externos transmissæ non fuere.

19 **M**aior potest esse difficultas an in patria per speciem alienam, obiectum aliquod intuitiue cognoscatur. Pars affirmatiua suadet, quia beati in Verbo ex vi visionis creaturas cognoscunt, quas intuitiue ab illis cognoscendas esse dixi, & tamen illas tantum percipiunt per lumen gloriæ, vel speciem impressam Dei, absque vlla propria specie creaturarum: ex eo enim præcisè, quod Deum cognoscant absque vlla creaturarum specie impressa, illarum speciem expressam efformant. Neque in hac conclusione defendenda aliqua apparet difficultas, cum ratio visionis intuitiue, aut abstractiue non consistat in hoc quod est operationem fieri, per species proprias, vel alienas. Multa erant discutienda ad hanc questionem absolute definiendam, videlicet quomodo ex vi visionis creaturas videat beatus, an per eandem visionem beatificam, an per aliam octam ex beatifica. An cognitio siue distincta à beatifica, siue cum illa identificata habeat aliud principium distinctum à lumine gloriæ, vel specie impressa Dei, vel an Deus specialiter concurrat ad talem cognitionem loco obiecti creati vel speciei ab illo mittendæ. Deinde quæ dicatur species impressa propria obiecti, quæ aliena, quia quis posset dicere speciem impressam quæ producit expressam, ex vi cuius obiectum in se ipso, & non in alio cognoscitur, dici propriam speciem, quia de ratione huius nò est produci ab ipso obiecto; Deus enim producit proprias species impressas obiectorum, quæ neque influunt, neque influere possunt in ipsarum productionem. Iuxta quem dicendi modum neque locum haberet dubitandi ratio. Rem non absolute definitio quia multum de nomine agerem, si naturam speciei propriæ contenderet explicare, & quia questiones aliæ supra propositæ ad Theologum, non ad Philosophum attinent; tantum affirmo, cognitionem, quæ beati vident in Verbo creaturas esse intuitiuam, quod si tantum illa dependeat ex Dei specie impressa, dabitur cognitio intuitiua per alienam speciem productam: si autem cognitio creaturarum in Verbo, quatenus creaturarum est, dependeat ab aliqua illarum specie, vel à Deo specialiter supplente vices illius, nulla erit intuitiua cognitio per species alienas tantum producta.

§. IV.

Sauis argumentis.

20 **M**ultus est Pasqualis tom. 2. Metaph. disp. 8. vt probet cognitionem intuitiuam, & prædicatum intuitionis cum præcisua opponi, ita vt implicet dari cognitionem intuitiuam non attingentem omnes formalitates obiecti.

H 3

Plura

repugnat, ex quo capite præcisionem obiectivam, tenentem le ex parte obiecti ego denego, & præcisionem formalem tenentem se ex parte actus negat nemo.

- 29 Rursus arguit: cognitio intuitiva debet fieri per propriam speciem, vel ergo hæc species mittitur ab obiecto, vel intenditur ab aliquo alio principio intrinseco. Si ab obiecto mittitur, erit representativa totius obiecti: ergo vi huius intellectus produceret speciem expressam adæquatam totius obiecti, seu omnium formalitatum, quæ in illo continentur. Confirmatur species impressa missa ab obiecto non representat vnam tantum, vel plures obiecti partes, quia illas non habet: ergo representat totum obiectum: ergo species expressa, seu cognitio ab illa producta erit formalis expressio, seu representatio totius obiecti absque eo, quod aliqua formalitas cognoscens lateat. Si autem species impressa ab aliquo principio extrinseco produceretur, debet esse proportionata obiecto, ita ut representet obiectum, ut est in se, talis enim debet esse species in representando quale est obiectum in essendo. Deinde ut species producta à principio extrinseco sit connaturalis obiecto tale debet esse, qualis esset si ab obiecto procederet. Sed si ab obiecto procederet representaret totum obiectum: ergo quando procedit à principio extrinseco, si connaturalis est, debet totum obiectum representare.

- 30 Respondeo: cognitionem entitativam posse immediate procedere à Deo, & potentia vitali nulla specie impressa intermedia, vel posse procedere à specie impressa producta à principio extrinseco, quæ species sit representativa vnius formalitatis, & propria illius, & non totius obiecti, non enim in hoc maior implicatio reperitur, quam in eo, quod detur species expressa abstractiva, attingens vnam formalitatem sine alia. Ad illud quod dicitur speciem non fore connaturalem obiecto, si non sit eiusdem rationis cum illa, quam obiectum produceret dupliciter responderi potest. Primo admitendo non fore connaturalem, etsi proprie dicatur, quatenus non representat obiectum instar alterius. Secundò fore connaturalem obiecto sumpto non secundum omnes formalitates, quas includit, sed secundum illam, cuius est representativa. Eodem modo dicendum erit, speciem illam fore proportionatam, obiecto secundum illam formalitatem quam representat, & secundum alias, nec fore proportionatam, neque impropportionatam, quia illas non representat, neque ad eas dicit habitudinem aliquam.

- 31 Alio modo arguit idem Pascualigus, si per cognitionem intuitivam fieret distinctio rationis, per illam representaretur aliquid implicans, quod nulli veræ cognitioni posset contingere, & multo minus cognitioni intuitivæ. Quod representaretur aliquid implicans probatur, quia representaret vnam formalitatem sine alia, qua ratione implicat existere, implicat enim rationalitas cum existentia, & præsentia sine animalitate.

- 32 Respondeo cognitionem intuitivam attingentem vnam formalitatem, & non aliam non distinguere positivè, sed præcindere vnam ab alia, distinguere enim formalitatem dicit vtramque attingere instar duarum, præcindere verbò tantum dicit vnam attingere alia ablata, ex hoc autem nihil implicat representatur, nec cognitio euadit falsa, nam licet esse, seu existere vnam sine alia sit, quid implicans cognitio alia præcisiua non representat mediata vnam esse sine alia, sed ex eo solum dicitur representare vnam sine alia, quia representat vnam, & non aliam importante illo sine alia negationem representationis, & non negationem representationem.

- 33 Rursus arguit idem Pascualigus, de ratione cognitionis intuitivæ, est representare aliquid singulare: ergo debet representare singularitatem, nam si hanc non representaret, nec representaret singulare: ergo talis cognitio non potest aliquid abstrahere, seu non posset formalitatem aliquam præcindere, quia si hoc faceret, iam obiectum abstractum non maneret singulare, sed vniuersale, & commune. Respondeo verum esse cognitionem intuitivam debere representare aliquod obiectum singulare, & illius singularitatem: nego tamen hoc non componi cum eo, quod cognitio sit præcisiua, seu non attingat formalitatem aliquam, potest enim cognitio attingere hoc obiectum singulare, illiusque singularitatem abstracta aliqua illius formalitate, ut idem Pascualigus admittit quando in obiecto est aliqua formalitas non tangibilis per potentiam à qua procedit intuitio, talis esset cognitio, qua quis intuitivè co-

gnosceret hoc rationale non cognita ratione animalis, & qua quis intuitivè videret Deum, aliquo illius attributo non viso, non enim ex eo, quod ita Deus videretur visio illa attingeret obiectum vniuersale, nec naturam multis communem.

Ultimò arguit Pascualigus ex modo, quo intellectus debet procedere dum ratione distinguit, tunc enim inquit, intellectum debere operari aliquid intentionali modo circa obiectum, & ponere in ipso distinctionem, quam non habet. Ex quo sequitur, quod obiectum debeat representari cum distinctione, tanquam si illam in se haberet. Sed cognitio intuitiva nequit talem distinctionem ponere in obiecto, neque illa representare, alias representaret quid fictum, & chimericum: ergo cognitio intuitiva nequit per rationem distinguere, neque ex duabus formalitatibus identificatis vnam attingere altera non abstracta.

Dixi iam cognitionem intuitivam attingentem vnam formalitatem sine alia non illas positivè distinguere, sed tantum præcindere vnam ab alia, quod fit nulla distinctione in obiecto apprehensivissimo absque præcisione, quæ in actu intellectus consistit cognita, cognitio enim præcisiua tantum attingit formalitatem realem, & veram in obiecto existentem, & ex eo præcisiua dicitur, quia formalitatem aliam identificatam attingit, neque in obiecto aliquid ponit, nec positivè negat, sed solum illud adæquate cognoscit.

PUNCTUM V.

Quid sit comprehensio.

Questio hæc multum habet de nomine, tantum enim constat auctoritatibus Scripturæ & Patrum nullam creaturam posse Deum comprehendere, pluresque explanationes comprehensionis circumferuntur, sub quibus magna sententiarum diversitas potest contineri, quapropter ille se satis in tuto collocabit, qui ita comprehensionem definiat, ut nulli creaturæ respectu Dei possit convenire, & ipsi Deo respectu sui ipsius, & cuiuscunque obiecti creati conveniat: sicut enim dici nequit Deum ab aliqua creatura comprehendi, ita nefas est negare Deum reipsum & creaturas comprehendere. Pro utraque parte assertio Scripturæ, & Patrum innumera invenies testimonia apud Nostrium Ruisum disp. 4. de scientia sect. 5. 6. 7. & 8. quæ omitto, quia Theologi, & non Philosophi est illa expendere, & rem hanc stabilire.

§. I.

Comprehensionis definitio, & aliqua illius acceptiones.

Præcipua inter alias comprehensionis descriptio sumitur ex Augustino Epist. 112. cap. 8. ubi hæc habet: *Aliud est videre, aliud totum videndo comprehendere, quandoquidem id videtur, quod præsens vbi tuncque sentitur, totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil illius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt.* Ex hac definitione inferunt omnes ad comprehensionem obiecti requiri cognitionem omnium, quæ formaliter, virtualiter, & eminenter pertinent ad obiectum comprehendendum, ita ut quodcumque horum lateat videntem, illius visio comprehensio non erit. Addit Valsequez i. p. disput. 52. comprehensionem debere esse talem, ut non solum attingat obiectum comprehendendum, & omnia, quæ ad illud attingunt quasi concomitanter, etsi per eandem visionem, sed requiri necessariò, ut ex perfectâ penetratione obiecti primarij, obiecta secundaria cognoscantur, ita ut ex vi primarij obiecti ita perfectè specificetur cognitio, tanquam trahat perfectionem ut necessariò sit etiam formalis cognitio omnium pertinentium ad primarium obiectum, quia si hoc modo non cognoscantur obiecta secundaria ex vi primarij, illorum cognitio non habet specialem perfectionem formaliter quatenus est cognitio obiecti primarij, sed tantum materialiter, & identicè. Hæc ratione rectè componit P. Valsequez iuxta sua principia Deum non posse à creatura comprehendi, quia opinatur ex vi visionis nullam creaturam cognoscere à beato.

Hurtad. disput. 10. sect. 3. assertit ad comprehensionem sufficere cognitionem omnium, quæ sunt formaliter in ob-

iecto, asseritque Deum esse incomprehensibilem respectu creaturæ, quia hæc non potest expressè cognoscere actû Dei, quo cognoscit omnia creata, aliàs cognosceret expressè omnia obiecta talis actus ex vi talis cognitionis, & consequenter ipsam cognitionem, & eadem cognitio esset cognitio expressa sui ipsius, quod fieri nequit. Difficilis est hæc sententia, gratis enim supponere videtur repugnare cognitionem aliquam esset reflexivam supra se ipsam, & per seipsam expressè cognosci, quod fieri posse censeo.

4 Communis Thomistarum opinio, quam tenent ex nostris Arrub. 1. p. tom. 1. disp. 23. Ruiz. disp. 6. de scientia sect. 3. Herice disp. 4. cap. 4. Arriag. disp. 6. sect. 9. subsect. 2. asserit non sufficere ad comprehensionem cognitionem omnium, quæ sunt in obiecto formaliter, & virtualiter, seu eminenter, sed requiri, ut cognitio horum oriatur à principio tam perfectè cognoscituum, quàm sit obiectum cognoscendum, quod August. explicuit in illis verbis; cuius *finis circumspici possunt*, iuxta explicationem D. Thomæ 1. p. q. 12. art. 7. ubi sic scripsit: *Tunc enim finis alicuius circumspiciuntur quando ad finem in modo cognoscendi rem illam perveniuntur*. Expendo illa verba in modo cognoscendi quibus significat Angelicus Doctor finem debere circumspici non solum extensivè, sed etiam intensivè, hoc est, omni perfectione substantiali quam habet in ratione cognoscibilis, ita ut cognitio quoad modum attingat perfectionem obiecti. Alia plurima testimonia adducuntur pro hac comprehensionis acceptione, quæ videri possunt apud auctores citatos præcipuè apud nostrum eruditissimum Ruiz.

5 Huius comprehensionis modi solidam rationem innuit S. Thomas loco supra citato. Quodlibet obiectum eo ipso, quod est ens, est intelligibile, & secundum perfectiorem rationem entitatis perfectiorem habet intelligibilitatem, nam intelligibilitas ab ente formaliter non distinguitur: ex quo provenit, ut obiectum infinite perfectum intelligibilitatem habeat infinite perfectam intrinsecè sumptâ perfectione intelligibilitatis, non extrinsecè à cognoscente infinite perfectò, quod potest illud cognoscere per cognitionem infinitam, hac enim ratione omnia obiecta infinitam intelligibilitatem habent, illa verò tantum obiectum in se infinitum, ut Deus qui sicut infinitus in se est, ita illius intelligibilitas eadè infinitate gaudet. Comprehensio autem debet esse, quæ adæquet omnem intelligibilitatem obiecti, & illam exhauriat, hoc est, quæ non solum illud cognoscat quoad extensionem quantum potest, sed etiam in modo, ita ut cognitio adæquet cognoscibilitatem intrinsecam obiecti. Sumitur hæc perfectio ex principio intellectivo, quia ex hoc immediatè crescit perfectio intellectiois. Vnde quotiescunque virtus cognoscitiva fuerit perfectior, vel æquè perfecta cum obiecti cognoscibilitate, etiam poterit adæquare talem cognoscibilitatem, ex quo fit omnem entitatem cognoscitivam perfectiorem, vel æquè perfectam cum alia posse illam comprehendere.

6 Dixi principium cognoscitivum debere esse æquè perfectum cum obiecto cognoscibili, ut adæquet totam cognoscibilitatem obiecti. Difficile est modò taxare perfectionem cognitionis comprehensivæ, quam debet habere à principio comprehendente respectu obiecti comprehensibilitatis. Resp. cum P. Arrub. disp. citatâ n. 13. & 14. perfectionem cognitionis comprehensivæ debere esse tantâ, quantam exposcit obiectum cognoscibile; obiectum autè exposcit cognitionem summè perfectam, quam ipsum potest specificare, vel immediatè, & per se, vel mediâ specie, & ad quam, ut obiectum potest movere. Ex quo fit comprehensionem Dei debere esse infinitam, quia Deus ipse, qui est obiectum cognoscibile ex se habet coniungi per identitatem cum cognitione infinita, ac proinde summam connexionem intrinsecam habet cum cognitione infinita: quia vi suæ perfectionis habet, & debere esse obiectum cognitionis infinitæ, & debere esse cognoscens infinitum, & debere esse cognitionem infinitam sui ipsius, & hac ratione dicitur infinite cognoscibile; reliqua verò obiecta creata ex se non habent connexionem cum cognitione infinita, neque possunt illam specificare, neque ad illam movere, ac proinde non dicuntur habere infinitâ cognoscibilitatem intrinsecam, licet illam extrinsecam habeant, quia possunt infinita cognitione attingi. Ex eodem capite habet substantia creata non exigere ad sui comprehensionem cognitionem, quæ sit substantia, sed posse

cognitione accidenti comprehendere, quia substantia creata non valet, neque per se, neque mediâ specie impressâ specificare cognitionem substantiam, neque ad illam movere, neque aliam connexionem intrinsecam habet cum tali cognitione. Neque refert omnem entitatem creatam dependere à cognitione Dei, & hanc esse substantiam; quia infinitas, & ratio substantiæ in cognitione divina non sumuntur ab obiecto creato, sed tantum à cognoscente, quod per se est determinatū ad cognoscendum omne obiectum cognitione secundum identitatem, & consequenter cognitione substantiali, & infinitâ. Neque creatura habet immediatam connexionem cum cognitione Dei, sed tantum mediatam cum omnipotentia, & quia hæc non potest operari nisi liberè, & est necessariò coniuncta cum voluntate, & cognitione obiecti, quod producit, fit obiectum productum, seu producendum habere connexionem cum cognitione divina non immediatam, & ratione sui, sed mediatam, & ratione omnipotentis.

Hinc infero Deum se ipsum comprehendere, quia habet perfectissimam cognitionem, cum qua ipse Deus ut obiectum connexionem intrinsecam habet. Infero similiter nullam creaturam posse neque divinitus Deum comprehendere, quia nulla potest habere cognitionem perfectissimam, cum qua Deus, ut obiectum habet connexionem, quia hæc est identificata cum ipso obiecto, & solus Dei propria. Rursus infero omnia obiecta comprehendere à Deo, quia Deus habet cognitionem illorum, & omnium, quæ pertinent ad illa longè perfectiorem illa, ad quam possunt obiecta movere, & cum qua possunt habere connexionem. Infero ultimò, casu, quo aliquis beatus videret omnia, quæ sunt in Deo formaliter, & virtualiter, & omnes creaturas posibles, imò & existentes, adhuc non comprehensurum Deum, quia visio illa esset finita & creata, quod docent omnes auctores citati pro hac sententia, præcipuè P. Ruizius cum Durand. in 1. dist. 3. quæst. 1. art. 2. n. r. Ochamo in 4. quæst. 13. art. 1. in 3. Gorf. quod lib. 6. quæst. 3. apud Capr. in 4. dist. 49. quæst. 6. art. 2. Aur. quod lib. 20. art. 1. circa Ioannem Bassoli in 3. dist. in 14. q. 2. art. 5. ad motuæ, Gabr. in 3. dist. 14. q. unica art. 3. dub. 2. Marlin 4. dist. 49. quæst. 15.

§. II.

Nodus explicandi comprehensionem.

Subtilem alium comprehensionis modum proponam, ut de illo alij iudicium ferant. Posset dici comprehensio illa cognitio, quæ attingit omnia, quæ sunt formaliter, & eminenter in obiecto, eo modo, quo sunt in obiecto, ita ut si obiectum talis sit naturæ, ut absque vlla mutatione physica, & eodem intrinsecè invariato permanente possit habere actum aliquem, exempli gratiâ, intellectus, vel voluntatis, & illum non habere, ita cognitio talis sit naturæ, ut sine vlla variatione intrinsecâ possit esse cognitio talis actus, casu, quo sit in obiecto, & non exercere munus cognitionis talis actus, si hic in obiecto non reperitur. Rem clarè explicabit exemplum. Deus talis est naturæ, ut idemmet intrinsecè invariatus possit velle hoc obiectum, & illud non velle, cognoscere hanc entitatem scientiæ visionis, & illam non cognoscere, quod fieret si illam non produxisset absque vlla mutatione physica Dei, quæ nunc sit, vel tunc esset. Eadem ratione comprehensio Dei talis debet esse naturæ, ut eadem intrinsecè invariata sit cognitio actus voluntatis divini, casu, quo sit in Deo, & non exerceat munus cognitionis circa talem actum, casu quo talis actus in Deo non reperitur. Neque hic modus explicandi comprehensionem delicturus est auctoritate Patrum; omnia enim testimonia, quibus probant Thomistæ principium cognoscitivum debere esse æquè perfectum cum obiecto cognoscibili, illum non leuiter innuunt. Est enim perillustre testimonium D. Gregorij 18. moral. cap. 29. aliis 37. pro hoc comprehensionis modo, ubi rationem hanc reddit incomprehensibilitatis Dei respectu nostri: *Neque tamen videmus, sicut videt se ipse, longè quippe specialiter videt Creator se, quàm videat creatura, nam quantum ad immensitatem Dei nobis modus figuræ contemplationis, quia eo ipso pendere circumscribitur, quod creatura sumus*. Asserit Gregor. nos non comprehendere Deum, quia illum non videmus sicuti ipse seipsum videt, Deus autem videt se visione quadam, quæ sine vii mutatione plura

plura pauciorave obiecta ad Deum spectantia pertingit, v.g. decreta Dei, quæ de facto sunt, quæ si non essent, eadem visio physicè permaneret sine visionis exercitio circa talia decreta; creatura autem si ex vi alicuius visionis cognoscitur aliquod decretum diuinum, visio talis erit naturæ ut semper sit visio talis decreti, & implicat ipsam existere sine exercitio visionis circa illud, neque eademmet potuit antecedenter esse visio aliud decreti, quod Deus antecederet habere potuit, & propter hanc rationem ait Gregorius aliter Creatorem videri à se ipso, quàm à creatura, quod ipse explicuit per illa verba: *Nam quantum ad immensitatem Dei nobis modus figuræ contemplationis, quia eo ipso pendere circumscribimur, quod creatura sumus.* Ac si diceret, quantum ad infinitatē ratione cuius mensurari nequeunt arcana diuina, neque ipse Deus, nobis modus contemplationis figuræ, quia modum habet nostra contemplatio, seu cognitio, quem nequit excedere, ideo enim ipso quod pendere creaturæ circumscribimur, ita cognoscimus, ut ex vi cuiusvis visionis fixum sit obiectum, ita vt neque illud, quod semel per illam cognoscitur, non potuerit totum antecedenter non cognosci, neque quidquam aliud ultra illud quod de facto attingitur antecedenter ex vi eiusdem valeat attingi.

9 Ad eandem mentem facit testimonium D. Thomæ q. 8. de visione art. 2. in corp. ubi hæc habet: *Aliqua vis cognoscitiva dicitur comprehendere suum cognitum, & in quantum cognitum perfectè substat cognitioni eius: Tunc autem à comprehensione deficit, quando cognitum cognitionem excedit: & paulò post: quando id, quod intelligitur habet modum intelligendi perfectiorem, quàm sit modus, quo intellectus intelligit.* Quando verò id quod intelligitur sine mutatione physica potest velle, & non velle, amare & non amare, & diuersas denominationes actuum vitalium sortiri, & modus, quo intelligitur non potest similes denominationes sine physica mutatione sortiri, perfectiorem essendi modum habebit obiectum intelligibile quàm modus, quo intelligitur, & iuxta D. Thomam talis intellectus à ratione comprehensionis deficiet. Vnde ad secundum dicit obiectum comprehendere: *Quando scilicet visio habet modum totalem, hoc est, quando est apta attingere totum Deum, & omnes formalitates ipsius, & ita est tota visio Dei, vt in quocunque casu, & sub quacunque suppositione totum Deum, & omnes illius formalitates, perfectiones, & denominationes attingat.*

10 Fulcitur hic comprehensionis modus ratione desumpta à comprehensione locali, ex qua translatio sumitur ad mentalem. Eo ipso quod quis manu comprehendat corpus aliquod quantum, omnia accidentia, quæ illi denuo contingunt absque noua alia quantitate, & locali extensione ex vi eiusdem comprehensionis manu comprehensa manent; ergo eo ipso quod quis intellectu comprehendat obiectum aliquod non corporaliter, sed entitativè, quæcunque illi contingant absque diuersitate physica entitatis ex vi eiusdem comprehensionis debent permanere comprehensione. Cum ergo Deo possint contingere diuersa decreta sine noua entitate, necessum est vt cognitio comprehensionis talis sit naturæ vt ex vi eiusdem quæcunque decreta Deo adueniant, vel in alia hypothesi adueniant, maneat comprehensa.

11 In hoc comprehensionis modo facilè est explicare, quomodo Deus se ipsum comprehendat, cum se cognoscat cognitione quadam, quæ modò tendit in Deum, & in omnes formalitates, & omnia decreta, quæ modò habet, eademque inuariata tenderet in alia decreta, quæ Deus potuit habere ab æternitate, & de facto non habet, eademque permaneret, etiam si hæc decreta non essent in Deo, neque circa illa visionis munus exerceret. Neque ex hoc capite creatura aliqua incomprehensibilis esse potest, quia cum nulla sit, quæ possit nouas denominationes sortiri sine noua alia entitate, neque intrinsecè inuariata velle, & non velle, hos, vel illos actus exercere, nulla est, quæ exigat ad sui comprehensionem cognitionem aliquam, ex vi cuius intrinsecè inuariata possint diuersæ formalitates cognosci, & non cognosci, & debeant cognosci ex suppositione, quod existant, & non cognosci, casu, quo tales formalitates non existant in obiecto, sicut enim noua denominatio subiecti creati aduenit per productionem nouæ entitatis, sic noua illius cognitio per nouam aliam productionem entitatis tendentis in nouam formalitatem sufficit ad illius comprehensionem. Hæc passim de com-

prehensione dixi, quia etsi ab Animastico non sit aliena illius tractatio, magis ad Theologum attinet, quapropter de sententiis suprà dictis iudicium non fero, sed Theologis ferendum relinquo.

CONTROVERSIA VII.

De veritate & falsitate formali actuum intellectus.

VERITAS est duplex: transcendentalis & formalis: de veritate transcendentali dicam in Metaph. Controuers. 3. nunc de veritate formali, & de falsitate, quæ huic opponitur disputationem instituo.

PUNCTUM PRIMUM.

An veritas & falsitas distinguantur ab actu intellectus.

§. I.

Refelluntur aliqua sententia.

1 FERT prima opinio veritatem, & falsitatem esse relationem rationis, pro qua refertur P. Valquez i.p. disp. 26. cap. 2. qui si attentè legatur in hac, & aliis similibus questionibus, in quibus rerum essentias constituit in ente rationis nihil aliud intendit, quàm asserere rerum essentias concipi à nobis, vt ens rationis per fictionem, quæ apprehendimus veram relationem inter extrema realiter absoluta, realiter tamen esse verum consistere in denominatione extrinseca, seu in fundamento proximo, quo intellectus ens rationis confingit. Hoc in re verum est, modus tamen loquendi mihi non placet, quia aliud est id instar cuius rei essentia cognoscitur, aliud essentia, quæ instar alterius cognoscitur; & cum inquirimus quid sit res, v.g. quid sit veritas non querimus, instar cuius veritas cognoscatur, sed quid veritas ipsa in se sit.

2 Hæc de mente P. Valquez: verum tamen non pauci tanti Magistri verba, vt sonant, interpretantes, defendunt, veritatem, & falsitatem consistere in relatione quadam rationis inter propositionem seu iudicium, & obiectum: contra quos in hunc modum argumentor. Antequam sit hæc relatio rationis in qua consistere dicitur veritas, seu falsitas iudicij, iudicium constituitur verum vel falsum: ergo veritas, vel falsitas non potest consistere in hac relatione: antecedens probo: antequam exurgat hæc relatio, in qua consistit veritas, debet habere fundamentum diuersum ab illo, quod haberet relatio, in qua cõsisteret falsitas, exempli gratia dico ego, *Petrus currit*, antequam hoc iudicium fundet relationem rationis, quæ formaliter constituitur verum, debet esse aliquod fundamentum distinctum ab illo quod esset, si loco relationis, quo actus constituitur verus, insurgeret relatio, quæ constituitur falsus; ad hoc enim vt detur relatio, quæ actus constituitur verus, debet supponi obiectum eo modo quo affirmatur per actum; & ad hoc vt detur relatio, quæ constituitur falsus, debet supponi obiectum aliter, ac per iudicium repræsentatur: sed in hoc diuerso modo, quo supponitur obiectum, consistit veritas, vel falsitas: ergo antequam sit relatio formaliter iudicium cõstituitur verum vel falsum. Minorem probo: eo ipso quod obiectum se habeat eodem, vel diuerso modo, quo repræsentatur per actum, intelligitur iudicium conforme, vel disconforme cum obiecto; ex eo enim quod res sit, vel non sit, sumitur veritas, vel falsitas, eo enim ipso præcisè, quod quis dicat rem aliter ac est, dicit falsum; & eo ipso quod quis dicat rem sicuti est, dicit verum.

3 Secundò iudicium, quo Deus iudicat ipsum esse Deum, ab æterno est verum, etiam si nullus sit intellectus, qui fingat ens rationis: idem dico de iudicio quo ego iudico Deum existere, quod tantum fertur in Dei existentiam, & non